CIRCA CONTROVERSAM VALIDITATEM
MATRIMONII FEMINAE RECISAE

DIATRIBA

pro sanctitate pacti coniugalis

AUCTORE
GUILLELMO ARENDT S. J.
CONSULTORE S. OFFICII ET THEOLOGO S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE

Omnino matrimonium non inimus nisi ad liberorum educationem.

S. JUSTINUS M. In Apologia I, n. 29.

ROMAE
FRIDERICUS PUSTET
Bibliopola Pontificius
—
MCMXXIII

APPROBATIO

Cum opus cui titulus: " Circa controversam validitatem matrimonii feminae recisae. Diatriba pro sanctitate pacti coniugalis, Auctore Guillelmo Arendt S. J. sacerdote, Consultore S. Officii et Theologo S. Poenitentiariae Apostolicae „, aliqui eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem damus ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, die 9 Januarii 1923.

(L. S.)

IOSEPHUS FILOGRASSI
Praepositus Provinciae Romanae S. J.

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P.,
S. P. A. Magister

—

IMPRIMATUR

† JOSEPH PALICA, Arch. Philipp.
Vicesgerens.

Typis " Campitelli „ - Via della Tribuna di Campitelli, 24 — Roma

PRAEFATIO

Omnes catholici Doctores profecto subscribunt S. AUGUSTINI *sententiae qua profitetur sanctitatem pacti coniugalis: " sancta sunt ergo, ait ipse, etiam corpora coniugatorum, fidem sibi et Domino servantium "* (1). *Duplicem porro huius sanctitatis rationem extollit: non solum quia " omnibus fidelibus dictum est: nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus Sancti... ", sed maxime quia, uti paulo superius dixerat et toto libro* de bono coniugali *constanter evolvit, " decus coniugale est castitas* procreandi, *et reddendi carnalis debiti fides ". " Propter quod (bonum)* solum, *protestatur alibi, coniugia copulanda sunt "* (2). *Quicumque idcirco paulo sedulius perpenderit controversiam iugiter subsistentem de validitate matrimonii feminae recisae, non poterit non vehementer mirari simul et hanc inconcussam doctrinam de fine* operis *matrimonii ex quo tota honestas eius derivatur, propugnari simulque autumari ne ambigendum quidem esse de validitate nuptiarum feminae cui praevie constiterit generandi possibilitatem vel ipsam fuisse penitus ademptam. At contingit in ea controversia, quod a saeculis, in nonnullis aliis: disceptantes postulatis quisque suis, sive theologicis, sive iuridicis abrepti, a vero distrahuntur nodo totius dubii et cardine, qui tandem in metaphysica quadam necessitate consistit. Unde fit ut solus ille litem non aegre finiat qui a metaphysico illo lemmate exordiens, quaestionem totam a terminis extremis ad quos deflexerat, in verum tramitem reduxerit.*

Sed ut meta haec feliciter attingatur, necesse erit meta-

(1) *De bono coniugali,* cap. XI. n. 12, 13, (M. 40, 382).
(2) *Contra Faustum,* XIX, cap. 7, (M. 42, 310) Et passim alibi.

physica proponentem aure favente audiri, dum e contra quandoque accidit volentem ea disserere vel a dicendo arceri, vel, quod peius est, dicentem silentio dissimulante contemni.

In praesenti tamen controversia, nemo, uti reor, auscultationem mihi detrectabit: quanto maior enim est auctoritas Aquinatis illius quem mihi subsidio appellare possum, tanto firmior mihi spes arridet fore ut a lectissimis viris quorum interest, iterata haec mea verba libenti tandem animo suscipiantur.

Neque agitur de illis metaphysicis postulatis quae a catholico philosopho, pro varietate systematum, utpote incerta, libere discuti possunt; nec de iis quae revelatae fidei intellectui explicando adeo sunt consentanea ut ab Ecclesia in suis scholis praeferantur. Agitur vero de illis metaphysicis principiis quae sensu communi directe percipiuntur atque ab unoquoque vel inculto homine practice aestimantur ineluctabiliter necessaria.

Equidem contentus fuissem argumenti propositione brevi et thetica tantum; at multorum annorum experientia edoctus sum in controversiis, etiam catholicos inter, theses generales minus observari ab eo qui totus in anfractibus implicatur adversae quam patrocinatur sententiae; unde non aliter ipse ultimae deditioni potest vel invitus adstringi, quam si singulae eius munitiones pedetentim fuerint disiectae singulisque eius argumentis singulae adaptentur distinctiones. Nonne ita etiam, v. gr., AUGUSTINUS *adversarios non uno ex operibus suis lacessivit?*

Ceteroquin coactus etiam sum polemice ingredi campum adversarium, quem inveni lata quidem eruditione praeparatum, non tamen omni praeiudicio adeo remoto ut nulla dissimularentur eorum quae solvendae quaestioni imprimis conferre debuissent.

Apprime scio opinioni adversae praecipuum invocari praeiudicium ex praxi in S. Congregatione de Sacramentis hodie recepta. Sed haec tantum abest ut mihi refragetur, ut potius, quemadmodum statim ab initio explicabo, et liberae disputa-

tioni non obsistat, et eo ipso supponat veritatem aeque in alterutro sensu, posse indubie demonstrari.

Unum addam nuper rescitum, quod revera est gravissimum quodque alioquin quispiam frustra tentaret silentio praeterire. Constat iurisprudentiam tribunalium civilium in Italia, iam ab anno 1887 incoepisse recedere ab antiqua norma decidendi, atque impotentiam quae art. 107 Codicis civilis statuitur posse afferri tamquam causa nullitatis contractus matrimonii civilis, hodie communius interpretari non amplius de sola impotentia coeundi, sed etiam de SOLA IMPOTENTIA GENERANDI, *manifesta, antecedente et perpetua, etiamsi sive mulier sive vir aptitudine non destituuntur ad coeundum. Motivum porro huius* rationis decidendi *in sententiis iudicialibus allegatur praecipuum et fundamentale, ipse finis* operis *contractus matrimonii, qui in prolis generatione saltem possibili statuitur, non vero in* sola *libidinis satisfactione.*

Quam in iurisprudentiam adoptandam devenere sententiae Cassationis Taurinensis, 18 Aprilis 1887; Cassationis Florentinae, 28 Iunii 1888; Cassationis Panormitanae, 7 Martii 1890; Cassationis Neapolitanae, 5 Septembris 1891. Similiter Tribunal appellationis Venetiarum, 20 Septembris 1888; Tribunal appellationis Romanum, 25 Martii 1919; 6 Iunii 1920 (3)*; 29 Novembris 1921.*

(3) Has notitias sumpsi ex patrocinii oratione ab advocato elaborata anno 1919 in causa *Piercy-Nunziante* et ex alia causa *Moretti-Cavaceppi*, decisa 29 Novembris 1921. Operae pretium est exscerpta pauca audire ex sententia data 25 Martii 1919, a Tribunali appellationis romano: " L'impotenza, come causa di annullabilità del matrimonio, può essere tanto strumentale, che funzionale, riguardare cioè, sia l'impossibilità del compimento dell'atto materiale della copula (impotentia coeundi), sia quella dell'impossibilità della procreazione e del concepimento (impotentia generandi). E invero, non può disconoscersi che il matrimonio, per legge naturale e giuridica, non ha il solo scopo di una mutua assistenza (mutuum adiutorium) e di una soddisfazione puramente materiale degli stimoli della concupiscenza (remedium concupiscentiae), ma pur quello, altamente morale e sociale, della procreazione ed educazione della prole, che costituisce, può dirsi, il fine primario del *consortium vitae coniugalis*, mentre secondario è a ritenersi quello della *co-*

Imo rumor inde subiit S. Rotam Romanam et ipsam aliquas suas sententias hac eadem ratione, etsi nondum expresse, attemperasse.

Denique moneo ea quae scripta sunt in praesenti opusculo, si non perfunctorie quidem et solum superficie tenus, sed attenta singulorum computatione relegantur, et cum adversis comparentur argumentis, opportune complere et perficere analysim in praecedenti opella novem abhinc annis a me institutam.

VERITATEM AUTEM FACIENTES IN CARITATE, CRESCAMUS IN ILLO PER OMNIA QUI EST CAPUT CHRISTUS *(Ephes. IV, 10).*

Romae, die septima Martii, Sancto Thomae Aquinati sacro, anni 1922.

---

niunctio maris et feminae in quanto inteso alla semplice soddisfazione dei sensi. E a tale elevato concetto fu informata anche la legislazione canonicai alla quale il nostro Codice ebbe, prevalentemente e sostanzialmente ad uniformarsi, concetto ribadito nel canone 1013 del recente *Codex Iuris canonici,* laddove la definizione del matrimonio è così concepita: " matrimonii finis (etc.) „ Ciò conforta a ritenere che l'art. 107 C. C. contempli tanto l'ipotesi della impotenza del congiungimento sessuale, quanto quella della impotenza a generare „. Nonnulla ibidem adduntur de difficultate quam sibi confingit sententia mihi adversa ex sterilitate; sed ea a me referentur in nota 7 ubi in cap. II hanc difficultatem perpendam.

Non possum tamen omittere quae in alia sententia, data a Tribunali Mediolanensi, d. 21 Octobris 1919, in causa *Petrosini-Cavana* subnectuntur: " In sostanza la funzione sessuale non può dirsi compiuta (ostandovi l'impotenza a generare), se non vi sia ALMENO LA POSSIBILITÀ DELLA FECONDAZIONE: e quando questa possibilità rimane esclusa in modo assoluto per la mancanza materiale degli elementi necessarii alla generazione, nessuna ragione v'è per ritenere che non si abbia nella *impotentia generandi,* una impotenza rispondente al concetto ed ai motivi della legge „.

Dum haec, post annum, typis eduntur, lego in *Monitore Ecclesiastico* (1923, pag. 123, n. 19): « La Cassazione di Firenze con sentenza 28 novembre 1921, contraria alla precedente 3 maggio 1920, ha ritenuto che è causa di nullità del matrimonio soltanto l'*impotentia coeundi (Giurispr. It.* 1922, I, 1, 57). »

INDEX ANALYTICUS

CAPUT PRIMUM.

Accurata sententiae propositio educitur e tricis quibus adversa discussione fuit involuta.

§ I. Quaestio libere disputata inter catholicos.

1. De mulieris excisae aptitudine ad matrimonium ineundum, libere disputari posse in confesso est apud omnes, et dum S. Officium ab anno 1895, die 16 Januarii (1) declaraverat " in huiusmodi casibus esse in singulis recurrendum, cum hucusque responsum non fuerit nisi pro casibus particularibus „; successivae decisiones et praxis recepta in S. C. de disciplina Sacramentorum, tantum abest ut doctrinaliter finiverint controversias, ut eas potius supponant iugiter apertas et canonem applicaverint 1068 § 2, quo edicitur matrimonium non esse impediendum, si impedimentum *impotentiae* dubium sit sive dubio iuris, sive dubio facti (2).

2. Porro manifeste constat, hodie multos esse qui relate ad praesentem controversiam, sive editis libris, sive ex ca-

(1) Collect. S. C. Prop. Fid. Edit. 2, vol. II. n. 1907, in nota (2), ad calcem.

(2) Sic Ems. Gasparri, *De matrim.* Edit. 3, ann. 1904, I, n. 578: " S. C. illas responsiones dare non potuit, nisi aut indirecte resolvendo quaestionem theoreticam in favorem sterilitatis, aut ex principio reflexo de impotentia dubia. Si igitur S. C. suis responsis quaestionem theoreticam intactam reliquit, sequitur respondisse matrimonium non esse impediendum aut coniuges non esse inquietandos, ex principio reflexo ob dubium seu iuris seu facti, sed praesertim iuris, admissa probabilitate sententiae in favorem sterilitatis. „

thedra, sensa quisque sua, in partes invicem contrarias, liberrime propugnare permittuntur, nec defuit qui ea libertate large utens, penitiorem satagere tentavit trutinam trium sententiarum quae de ea quaestione circumferuntur (3).

§ II. Sententia intermedia pressius definitur; purgatur ab adversis praeiudiciis.

3. Notum est ex his tribus sententiis duas e diametro oppositas, defectum illum mulieris excisae spectare in ordine ad dirimens impedimentum *impotentiae* ad matrimonium consummandum; alteram nempe affirmando ipsum, alteram negando. Tertia vero sententia, a me propugnata in ephemeride Romana " Acta Pontificia „, atque in opusculo separatim edito (4), diffitetur quidem impedimentum impotentiae ad coeundum, subesse in muliere recisa utpote quae simul remanserit non inepta ad copulam physice habendam; autumat tamen recisionem quam ipsa completam passa est in organis generationis, fundamentum ab ea patenter abstulisse ex quo resultare deberet in obiecto immediato ineundi coniugii, relatio realis huic obiecto specifice propria.

4. Matrimonium idcirco huius feminae, libens concedo ex capite impotentiae non esse impediendum ad tramitem canonis 1068 § 2, propter controversiam a S. Sede nondum definitam; verum aestimo nondum fuisse demonstratum matrimonium valide contrahi posse non obstante *cognitione* impossi-

(3) Arthuri Vermeersch S. J. *De castitate et de vitiis contrariis.* Romae, iam bis editum opus ceteroquin egregium consodalis mei et amici. Quod postquam legi, inductus sum ad tractandam iterum complendamque novis rationibus, opinionem meam demonstratam in opusculo de quo in sequenti nota (4).

(4) G. Arendt S. J. *Relectio analytica super controversia de impotentia feminae ad generandum.* Romae, Pustet, 1914, in 8. Pag. 43. Haec mea opinio ratione praemissarum dici potest aliquatenus media inter duas alias extremas, dum multiplici adhibita distinctione, utriusque inter praemissas, media via incedere nititur; ratione vero conclusionis neutram admittit, uti statim dicam.

bilitatis relationis ad generandum, essentialiter requisitae, tamquam ad finem *operis*, in obiecto consensus contractualis.

5. Haec enim impossibilitas, si quidem penitus lateret scitu impervia, non subtraheret a consensu contrahentis, essentialem obiecti coniugii proprietatem, quandoquidem subiectum eius *praesumi* deberet naturaliter potens ad generandum, non solum quoadusque alia praesumptione succedente non reputaretur impos ad generandum, sicuti, v. gr. senex decrepitus, mulier sterilis: sed quoadusque facto contrario et irremediabili non fuisset certissime demonstrata haec impotentia: ideo enim in Ecclesia et in Civitate christiana senes vel decrepiti, sicuti steriles, etiamsi praesumi debeant progressiva affecti organorum involutione, numquam repulsi sunt a coniugio ineundo, ex solo capite senectutis aut sterilitatis (5).

6. Si vero impossibilitas illa generandi fuerit vel manifesta vel facile obvia, efficit ut pars conscia eiusdem, in consensu quem praestat circa causam contractus, excludat ipso facto ab ea illam proprietatem eiusdem causae essentialem. Coniugium itaque erit invalidum sed solummodo ex capite VITIATI CONSENSUS, ad tramitem canonum 1081 § 2 et 1086 § 2.

7. Quae autem mea sententia potius quam dicatur in conclusionem recidere D.ris ANTONELLI, quamvis alia ratione (6), dicenda est ab illa radicaliter differre: quemadmodum radicaliter differt asserta matrimonii invaliditas, v. gr. ex capite conditionis appositae eidem contrariae, atque ex capite inhabilitatis innatae. Haec ultima enim, quantumvis lateat, contractum

(5) In 1. edit. op. cit. P. V., pag. 53, 54, n. 2. Cfr. ibid, in altera edit. pag. 71 in prima paragr.

Notum est " senum qui sexagenariis maiores essent, nuptias improbasse legem Juliam et Papiam; sed Justinianus, L. *Sancimus* 27. C. *De nuptiis*, iisdem eas permisit ". Ita v. gr. SCHMALZGRUEBER, IV, T. I, n. 242. De coniugio senum pulchre loquitur s. AUGUSTINUS quem infra referam.

(6) P. V. in altera edit. pag. 59 in fine; in prima pag. 62 ab initio.

D. ANTONELLI opinatur cum pluribus aliis matrimonium illud invalidum esse ex capite *impotentiae*, quam concipiendam esse dicit non relate ad coitum solum, sed etiam ad generationem.

efficit occulte nullum: atque ita impotentia generandi latenter innata, quam D.r Antonelli autumat irritare matrimonium, occulte irritaret matrimonium contractum a femina quae propter eam reputata fuisset solummodo sterilis (7).

8. E contra, sicut illa invaliditas ex conditione contraria apposita, ita etiam invaliditas a me patrocinata ex SOLO capite VITIATI CONSENSUS, donec impotentia generandi penitus impervia latuerit, non poterit ex ea oriri; nihil quippe volitum nisi praecognitum.

9. Neque applicari potest in praesenti materia, principium quod canone 1068 § 1, innuitur supponi (8): scilicet defectum qualitatis essentialis etiam ignoratum et occultum, invalidare actum. – RESPONDEO enim relate ad hanc difficultatem quae iam novem ante annos mihi fuerat obiecta (cf. cit. dissert. mea, n. 45), tria probe esse distinguenda: PRIMUM est elementum essentiale ab ipso divino Conditore statutum in contractu matrimoniali; ALTERUM est fundamentum ex quo resultare debet hoc elementum, cuius fundamenti realis existentia PRAESUMITUR tantum in singulis; TERTIUM est consectarium fallibilitatis huius praesumptionis in natura lapsa et vulnerata. Iamvero huiusmodi consectarium nequit motivum nobis praebere dubitandi de primaeva illa institutione eamve fallaciter interpretandi in detrimentum sanctitatis coniugii vel in solum naturae officium.

10. Juvat haec iam ab initio paulisper explicare ad avertendum praeiudicium quo demonstratio quae sequetur, obnubilari posset.

(7) P. V. in altera edit. pag. 57, in prima paragr.; iterum ab initio paginae 67, sicut in prima edit. pag. 69 b.

Attamen exagerari non debet huiusmodi inconveniens, quod necessario sequeretur ex ipsa naturae constitutione ideoque ab Ecclesia non posset non tolerari; profecto enim, etsi possit occurrere in singulis, absolute loquendo, tamen reapse in paucioribus omnino occurret et rarior esset casus invaliditatis huiusce occultissimae, sub specie et nomine sterilitatis.

(8) P. V. in altera edit. pag. 60, in tertia paragr.

P. WERNZ et ipse (*Ius Decret.* IV, n. 342, nota (4) in fine), ineptitudinis redarguit hanc explicationem, sed relate ad eos qui opinantur mulierem recisam laborare impedimento impotentiae proprie dictae.

Imprimis confundi nequit qualitas *absoluta* in se ipsa essentialiter requisita, uti v. gr. physica *coeundi* potentia, cum sola relatione reali resultante in subiecto ex fundamento in eo latente. De illa non ambigitur valere principium quod ab initio obiectum est; de hac opus est ulterius distinguere modum certitudinis quo constare possit de existentia istius latentis fundamenti: in natura integra ante lapsum originale, potuisset cum plena certitudine constare de eo in singulis, quippe quibus innata fuisset donata integritas. Sed post lapsum, vulnus naturae inflictum in poenam peccati efficit ut ex PRAESUMPTIONE TANTUM *iuris* quidem *et de iure*, sed cui absolute loqendo potest subesse falsum, certificari possit iuxta communiter contingentia, in singulis puellis quae ad nubendum accedunt, existentia latens sani systematis generationis. Porro, ut scite animadvertebat ipse P. ESCHBACH, acerrimus propugnator sententiae adversae, nemo unquam ad comprobandam generandi potentiam, in puella ceteroquin recte conformata, quam uxorem ducere vult, exiget praeviam laparatomiae operationem. Sed ex corpore exterius recte conformato functionibusque externis naturalibus assueto, PRAESUMITUR interna et occulta non deesse organa (9).

11. Idcirco ad valide contrahendum matrimonium iuxta divinum Institutum, non requiri potest alia aptitudinis generativae cognitio quam PRAESUMPTA, praesumpta nempe tam de reali relatione ad generandum, quam de fundamento occulto ex quo ipsa praesumitur resultare: falsumque est eam relationis praesumptionem fundamento reali carere in muliere in qua sub recta exteriori conformatione latet omnino inexplo-

(9) Nimirum in femina ipsius generationis organa latent et totus fecundationis processus a suo initio postquam fuerit per copulam provocatus, occulte succedit. Porro notum est nondum fuisse repertum signum physicum exterius infallibiliter denuntians hanc intraneam virginis aptitudinem ad generandum, in puella individua defectu aliquo substantiali non tolli. Ideo necesse fuit ab initio, extra terrestre paradisum usque hodie, eritque usque ad mundi consummationem,. ut iuxta communiter contingentia, ante matrimonium, de ea intestina habilitate iudicium feratur ex solis externis praesumptionibus.

rata ineptitudo ad generandum: nam illi iudicio PRAESUMPTIVO fundamentum realissimum praebet natura exterius perfecta quam exhibet puella nupturiens, QUOUSQUE NON FUERIT EVIDENTER DEMONSTRATA INTERIUS IRREPARABILITER DESTITUTA POTENTIA GENERANDI.

12. Si unquam autem haec praesumptio naturalis *iuris ac de iure*, demonstrato defectu manifesto, cessaverit, ipse ordo socialis consortii inter homines, ne pessum eat in fundamentali coniugii stabilitate, exigit ut, non obstante ea defectus demonstratione, STERILIUM matrimonium semel valide et absolute contractum, in ea sua validitate impugnari nequeat; similiter et SENUM vel decrepitorum, ut infra explicabitur, nuptiae absolute iniri permittantur. Tota haec socialis necessitas ad tuendam sanctitatem vel naturalem, connubii, in propatulo ponitur ex absurdis consectariis sententiae adversae, infra explicandis in capite quinto § 4.

13. Ceteroquin FACTUM constans et solemne quo Ecclesia tum steriles tum senes admittit sine inquisitione ad nuptias, sufficit ad demonstrandum A POSTERIORI legitimam exceptionem quae praenuntiato principio fieret in aliquo ex istis latenter inepto ad generandum. Cum enim natura coniugii dependerit a positiva Conditoris voluntate, et ipsa exceptio potuit ab ea implicite sanciri. Utique Deus potuisset aliter constituere hanc hominis lapsi naturam et processum generationis in ea; sed ratiocinari debemus non ex iis quae fieri potuissent, verum ex iis quae revera facta sunt.

14. Haec itaque nunc abunde sufficiunt ut arceatur omne praeiudicium, negetur consequens adversum et consequentia; et negetur in matrimonio quod init persona sterilis sed ex defectu substantiali potentiae generandi omnino latente et inexplorato, subesse errorem substantialem. Haec persona est sterilis tantum, nequaquam vero *praesumi* potest inepta ad generandum. Haec autem inferius explicabuntur.

15. Profecto inutiliter argueretur a femina sterili vel a sene quorum uterque capax est copulae physice exercendae et matrimonium omnino validum, ad concludendum a pari

feminam irreparabiliter recisam, et ipsam valide contrahere matrimonium, eo quod sicut in illis ita in ea, sufficiens fundamentum unde resultet intentio prolis essentialiter requisita ad contractum, habeatur in illa capacitate physice coeundi. In huiusmodi enim ratiocinio, neganda est paritas, negandum consequens et neganda consequentia: *paritas*, quia in sene aut sterili nondum excluditur evidenti demonstratione *contraria*, sicut in femina recisa, praesumptio naturalis *iuris et de iure*, subsistentis possibilitatis generandi; *consequens*, quia absurdum est intendere generationem uti possibilem in subiecto cui patenter recisa sunt generandi organa; *consequentia*, quia ex disparitate praemissarum, par hinc inde conclusio illogice deducitur. (10).

16. Unum adiungendum: superius asserui ex ipsa divina matrimonii institutione oriri necessitatem essentialem singulis coniugiis ineundis, nedum generali solummodo Instituto, ut finis non excludatur generandae prolis. Id porro infra luculenter demonstrabitur. Interim tamen opportunum est obiter advertere falsum omnino esse in Genesi II, 18, Evam magis ut coadiutricem quam ut futuram matrem prolis, Adamo datam enarrari. Huiusmodi enim oppositio et quasi praelatio unius finis et alterius primo quidem est aperte contraria contextui, cum in vers. 24 expressissime enuntietur opus coniugale tamquam res praecipua in qua Eva Adamo *adiutrix* data sit; tantum abest igitur ut ceterum adiutorium ab ea suo socio praestandum in hoc vers. 18 extollatur, ut potius adiecta versiculi 24 explicatione deprimatur. – Insuper tota et unanima interpretatio catholica refragatur illi insinuationi, quippe quae versiculum 18 intelligit de *complexu* totius adiutorii a femina viro praestandi sive in generanda prole, sive in ea educanda, sive in reliqua vitae familiaris consuetudine; atque in eo complexu *primarium* finem extollit versiculo 24 significatum. Volui itaque hanc exageratam interpretationem statim ab initio ar-

(10) Cfr. P. V. in prima edit. pag. 62 in prima paragr. minutiori littera; in secunda editione, pag. 52 in ultima paragr.

cere ne confusionem ingerat fucumque faciat lectori meo, cuius memoriae, forte ad instar alicuius dubii exegetici, obiiceretur. Conferri possunt et HUMMELAUER *in Genesim* in hunc locum, pag. 142, 147; et S. AUGUSTINUS *De Genesi ad lit.* 9, cap. 3, 5, 7. (Migne, 34, 395–397). (11).

17. Remotis hisce primis praeiudiciis, iuvat demum insistere in puncto ad quod tota disputatio convergat oportet. Nimirum unice quaeritur utrum iniri valide possit contractus coniugii ab eo qui probe scit finem primarium, nempe generationem non solum praecisive *non intendi*, ab altero contrahente, sed etiam *ipso facto* positive *excludi*, utpote physice et irreparabiliter impossibilem. Aliis verbis quaeritur utrum contractus, dum ex statu ipso in quo irremediabiliter constituitur mulier recisa, excludit possibilitatem finis primarii coniugii, possit censeri verus et proprius coniugii contractus; an potius mera conventio de mutuo vitae socialis adiutorio, vel etiam de puro puto concubinatu ad sedandam concupiscentiam.

Equidem in tutelam sanctitatis coniugii vel naturalis tantum, contendo, patenter deficiente in causa obiectiva huiusmodi conventionis, relatione reali ad possibilitatem physicam generationis saltem in minimo gradu praesumptam in muliere, eo ipso consensum contrahentium non ferri in verum coniugium.

§ III. **Gravia inconvenientia, aequivocatio sententiae adversae. Cardo firmandus totius solutionis.**

18. Iuvat hic subiicere oculis lectorum una simul congestos tres praecipuos defectus quibus adversae sententiae argumenta inficiuntur, ut huic meae assertioni contradicat. PRIMO confunditur in matrimonio sive contrahendo sive contracto, finis OPERIS cum fine OPERANTIS (12): SECUNDO prae-

(11) Vide P. V. in altera edit. pag. 52 in ultima paragr.

(12) Haec finis distinctio receptissima est in scholis atque, quamvis alia denominatione, apertissime traditur a S. THOMA de ipso matrimonio, in 4, D. 30, Q. 1. A. 1 in corp.; sive in supplem. Q. 48, A. 2 in corp.: quaestioni autem " utrum ex consensu alicuius in aliquam, propter causam inhonestam ",

sumptio naturalis potentiae generandi in singulis elidi contenditur et quidem totaliter PRAESUMPTIONE sola contraria quae cadat maxime in eiusdem potentiae *exercitium*; argumento desumpto ex modo loquendi paulo magis confuso et implicito quo antiquiores quidam usi sunt in controversiis illa aetate nondum eliquatis, praesertim ante declarationem Sixti V de nuptiis eunuchorum. Quocirca frustra attentaretur diminutio vis motivorum ab hoc Pontifice allatorum ad firmandam suam declarationem, qua saltem indirecte correctus est atque accurate definitus sensus illis antiquis attribuendus (13). TERTIO manifesta aequivocatione de qua paulo superius locutus sum, relate ad consensum contractui ineundo praestandum, ponitur in pari linea ille contrahens pro quo *causa* materialis contractus NONDUM NOSCITUR DESTITUTA RELATIONE REALI AD GENERANDI POSSIBILITATEM, et ille cui manifeste constat eamdem HAC RELATIONE REALI ESSE DESTITUTAM, uti feminae recisae accidit.

19. Quae cum ita sint, ut a fundamento penitus convellam huiusmodi simulatum aedificium, satis erit probare *causam* sive finem *operis* contractus matrimonialis proprium, essentialiter includere relationem realem corporis utriusque contrahentis ad possibilitatem physicam non tantum coeundi sed etiam generandi, *saltem in minimo gradu praesumptam.* Inde sequitur tanquam corollarium immediatum: contractum feminae in or-

---

matrimonium possit esse, respondet: " Dicendum quod causa finalis matrimonii potest accipi dupliciter, scilicet *per se* et *per accidens* per se quidem causa matrimonii est ad quam matrimonium est de se ordinatum; et haec semper bona est, scilicet procreatio prolis et vitatio fornicationis; sed per accidens causa finalis ipsius est hoc quod contrahentes intendunt ex matrimonio; et quia hoc quod ex matrimonio intenditur, consequitur ad matrimonium, et priora non variantur ex posterioribus, sed e converso, ideo ex illa causa non recipit matrimonium bonitatem vel malitiam, sed ipsi contrahentes quorum est finis per se. Etc. "

Eamdem doctrinam generalem optime propugnat DR. ALOISIUS DESMET, *De sponsal. et matrim.* in secunda editione, n. 53 et 126.

(13) Idipsum satis acriter fuit animadversum a P. PETRO VIDAL S. I., in periodico « Gregorianum » anno primo, vol. I. pag. 160-162.

ganis generationis penitus recisae, nullum esse ex capite vitiati consensus (Can. Iur. eccles. 1081 § 2, 1086 § 2).

Ut tamen demonstrationis meae processus liberetur a tricis quibus adversae binae sententiae viam obstruxerunt veritatis, necesse est TRIA, ad instar praeambuli accuratius explicare.

CAPUT SECUNDUM.

Notiones praeviae.

§ I. De conceptu sterilitatis.

20. Definitio sterilitatis quae ab antiquis et a modernis proponitur, ut nempe sit impotentia generandi tantum, non vero coeundi (1), debet necessario solum effectum factumque absentiae generationis significare, quin determinet utrum pro-

(1) Famosa est definitio a ZACCHIA tradita: " sterilis dicitur mulier, quae in aetate habili, viro fecundo debite utens, nunquam vel rarissime concepit, ut semel tantum in vita. Requiritur enim primo ut mulier sit in aetate habili et HABEAT APTITUDINEM GENERANDI A NATURA ". *Quaest. medico-legal.* L. III, Tit. I, Q. VII, n. 5. Eamdem approbat ANTONELLI, *Medicina pastor.* II, 217 et in suis opusculis. Consonat BALLERINI, VI, n. 865; imo hic accuratius innuit factum non vero possibilitatem.

Ceterum definitio illa nequaquam commutata est a ZACCHIA in aliis locis sui operis, sicut contendit ESCHBACH in *Analectis eccles.* IX, pag. 85, 135, sq. Sane in definitione tradita L. IX, Tit. X, Q. 3, n. 15; " Vitium est ex quo animal compari iunctum in aetate habili generare sibi simile non potest, vel foetum unquam ad perfectionem deducere " – in ea definitione, inquam, simpliciter supponit quin explicet, quod ceteroquin cuique obvium est, vitium scilicet huiusmodi quod sterilitatem causat, esse defectum occultum residens in organis sive in potentia ipsius generationis. Idem porro in L. XII, Tit. I, Q. I, n. 8 apertius significaverat, vitium dicens naturale vel accidentale, semper tamen supponens in substantia potestatem non periisse generandi; id enim expressissime dicit eodem titulo I, Q. V. n. 35, postquam explicavit per quae signa probetur frigiditas in muliere, subiungit: " Sciendum tamen mulieris frigiditatem nulli rei posse esse impedimento, quoad matrimonium valide contrahendum, cum ex hoc non impediatur quin debitum reddere marito possit, NISI OBSTET IMPOTENTIA GENERANDI ".

ducatur ex latenti et inexplorato defectu substantiali ipsius potentiae, an ex functionali tantum perturbatione, quantumvis permanenti (2). Ideo vox impotentia in ea definitione, dum causam indicat effectivae absentiae prolis, nequit intelligi exclusive de hoc functionali seu accidentali defectu, sed DISIUNCTIVE accipi debet, vel de hoc, vel de illo. Ratio est obvia: quia scilicet, omnibus fatentibus, utraque causa eumdem potest inducere effectum, ita ut, dum causa latet occulta, hic nequeat alteri prae altera attribui. Si vero causa substantialis qualicumque occasione innotuerit, subiectum ea affectum non poterit amplius vocari sterilis, sed proprie denominabitur impotens ad generandum: dum si altera causa se prodiderit, subiectum sicut antea, sterile dicetur: cum hoc solo discrimine quod antea sterilitas eius ex defectu functionali PRAESUMENDA TANTUM ERAT: eo quod in natura nequeunt defectus, relate praesertim ad potentiam generandi, praesumi et affirmari nisi in quantum fuerint facto demonstrati: nunc vero postquam causa eius functionalis innotuit, potest et debet cum certitudine physica exclusive affirmari.

21. Hanc ultimam distinctionem sterilitatis vel praesumptae tantum, vel etiam experimentaliter certificatae, antiqui subobscure et modernissimi scriptores vix ac ne vix quidem adverterunt (3), etiam postquam, novem ante annos, in meo opusculo

(2) Causae impotentiae, physicae, aliae organicae, aliae functionales dicuntur etc. Ita scite. P. V. in secunda edit. pag. 72, 73; in prima pag. 73. Idem exemplis explicat sterilitatis notionem.

(3) ZACCHIAS, in op. cit. L. III, Tit I, Q. VII, n. 4; L. IV, Tit, II, Q. VIII, n. 72, idipsum innuere videtur, " conceptionem impediri facile posse ex mille causis et sic steriles mulieres reddi „. – Loquendo de sterilibus in Sacr. Litteris commemoratis, " quomodocumque autem contingeret (sterilitas), illud certum est arti medicae difficillimum fuisse vitium corrigere si accidentale fuerat, impossibile autem si connaturale „.

Alios modernos citabo quos prae manibus habeo: ROUBAUD. *Impuissance et stérilité.* 1876, pag. 498: " Il est facile de méconnaître dans beaucoup de cas, la cause réelle de la stérilité „. GARNIER. *Impuissance.* 1893. Pag. 5; " Le mystère dont la génération a été longtemps enveloppée, ne pouvait d'ailleurs qu'entretenir l'erreur sur les causes qui s'y opposent... et

n. 11 et passim eam extuli atque ostendi quanti sit momenti in praesenti controversia. Ea enim accurate servata, retorquetur merito in adversarium id quod in eius sententia, facile asseritur de tertia illa sententia e diametro opposita, uti superius innui: nempe omnem immedicabilem sterilitatem aequiparandam fore impotentiae ita ut sterilitas saepe non esset nisi occulta impotentia (4). – Quae tamen animadversio meam sententiam non attingit, quia 1° impotentiam prout impedimentum dirimens est, aestimo exclusive in ordine ad coitum physice solummodo spectatum cuius feminam etsi plene recisam, physice capacem agnosco; – 2° sterilitatem dico FACTUM non generandi, quod saltem praesumi debeat non produci ex impotentia generandi; – 3° denique quod factum si demonstratum fuerit in praesumptione fallere, defectui detecto nomen recuso sterilitatis; id autem cohaerentia perfecta, dum in sententia meae opposita, sterilis simpliciter vocatur mulier quae nullum ovulum suppeditat, nempe ovariis prorsus excisis. (5).

22. Quocirca sententia mea longissime abest a suspicione tollendi distinctionem impotentiae coeundi atque impotentiae generandi, vel apparenter tantum hanc servandi distinctio-

---

ces deux infirmités (impuissance et stérilité), quoique très distinctes et différentes, ayant un résultat identique, c'est à dire nul quant'à la génération, on les confondit ensemble pendant de longs siècles. Il suffit en effet que l'une ou l'autre existe à l'état incurable, chez l'un des conjoints, pour entraîner la ruine complète, absolue de cette function „.

Ipse P. V. qui accuratissime consuluit modernos peritos in re praesenti, ita in edit. altera pag. 57: " Plures causae cur copula inepta sit ad generandum, nos ita facto latent, ut non pauca matrimonia mere putativa existere logice fatendum ipsis sit „ (scilicet patronis sententiae e diametro ei adversae).

Tandem ANTONELLI *Medic. Pastor.* II, 277, aequivalenter docet in fine huius numeri, sterilitatem in facto consistere. Cf. et n. 284. Similiter legenda est mea nota 7 ad calcem n. 23 proxime sequentis.

(4) P. V. in prima edit. pag. 89 b), ab initio; in altera, pag. 66 b), in fine. Pag. 71, pag. 57.

(5) P. V. in prima edit. pag. 76 in fine, n. 2; in altera pag. 75 in fine n. 2.

nem. (6). Nequaquam enim confunditur utraque impotentia, si dicatur primam ordinem habere essentialem in obiecto seu causa ineundi coniugii, ad alteram prout saltem non agnoscitur irreparabiliter perempta. Imo expresse supponitur distinctio utriusque, cum altera superesse, altera deficere praedicatur in muliere recisa. Tandem impotentiae coeundi, utpote inhabilitati obiectivae et suapte natura cognitu obviae attribuitur, si fuerit antecedens et perpetua, vis irritandi matrimonium, etiamsi latuerit; impotentiae vero generandi haec vis non attribuitur, nisi in quantum innotescens consensum contrahentis vitiaverit, eo quod, latens nec est cognitu obvia; ideoque praesumenda est abesse donec certo facto plene non fuerit demonstrata.

23. Atvero e contra non inepte diceretur adversa mihi sententia in aliam decidisse conceptuum toto coelo distinctorum confusionem, ut nempe agnitae generandi impotentiae sterilitatis qualificativum attribuerit, invito ZACCHIA cum tota antiquorum schola quorum praeco is fuit. Eoque gravior dicenda est hodie huiusmodi confusio quo apertius per ipsam controversiam attentio D D. suscitata est in distinctionem quam antiquiores in stadio veritatis quiete possessae, minus curaverant extollere. (7).

(6) Exinde etiam factum est ut reputari posset in praesenti controversia non agi nisi de dubio circa solum impotentiae impedimentum; unde applicari posset canon 1063 § 2, nulla habita ratione sententiae a me ante novem annos propositae.

Cfr. P. V. in prima edit. n. 58 ab initio; in altera pag. 44, 45.

(7) Haec a multo tempore conscripseram quando mihi occurrerunt in quadam sententia tribunalis romani appellationis, data die 25 Martii 1919 (Foro Italiano, 1919, pag. 955), ea quae sequuntur, et subnectuntur verbis a me recitatis ex eadem sententia, in nota (3) ad calcem praefationis huius meae opellae.

" Nè potrebbe obbiettarsi che non costituendo la STERILITÀ della donna, causa di nullità del matrimonio, ne consegua necessariamente che l'art. 107 contempli la sola ipotesi della *impotentia coeundi;* sia perchè siffatto modo d'interpretazione non è autorizzato dalla parola della legge, la quale non fa distinzione tra *impotentia coeundi* e *impotentia generandi* (ed è noto che *ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus*), sia perchè *scire leges, non est verba earum tenere sed vim et potestatem*, e lo spirito della di-

§ II. **In sententia Auctoris intacta servatur notio iuridica praesumptionis.**

24. Relate ad huiusmodi praesumptionis intellectum, ex sequentibus animadversionibus aequus Lector discernere facile

---

sposizione di legge in esame è evidentemente quello di porre nel nulla (sia pure in ristretti e limitati casi, in ossequio al precetto etico-giuridico dell'indissolubilità, in genere, del matrimonio) un vincolo non rispondente al fine sia primario che secondario del matrimonio stesso e CHE DI QUESTO COSTITUISCE LA SOSTANZA, quando però concorrono quegli estremi essenziali dal legislatore voluti, senza che per ciò, possa supporsi o ritenersi che, sciogliendosi detto vincolo per impotenza o dell'uomo o della donna alla generazione, si venga in tal modo, con una applicazione troppo estensiva del testo della legge, a sostituire indirettamente, per le conseguenze che ne derivano, all'annullamento del matrimonio, l'istituto giuridico del divorzio non ancora penetrato nella nostra legislazione; sia perchè, se non può contestarsi che *sterilitas nec impedit nec dirimit matrimonium*, ciò non pertanto la sterilità non può essere equiparata giuridicamente alla *impotentia generandi*, di cui l'art. 107, in quanto che mancherebbe sempre, allo stato attuale della scienza, la possibilità di un accertamento anatomico rispetto alla CAUSA DA CUI LA STERILITÀ STESSA DERIVI, CAUSA CHE PERCIÒ RIMANE IGNOTA E OCCULTA, mentre è invece possibile la constatazione della impotenza alla generazione, quando la causa appare anatomicamente nota, certa e palese da una ispezione di persona della scienza e per la quale ispezione si può porre in essere o la mancanza o l'anormale e viziata conformazione degli organi generatori, che non rendono perciò possibile nè il necessario accoppiamento sessuale, nè quindi la fecondazione, e nel caso concreto, come opportunamente nota il patrocinio dell'appellante, questi non ha chiesto l'annullamento del matrimonio per sterilità della moglie, ma perchè questa non solo era inetta e impotente a congiungersi con lui per la presenza di un dolorante fibromioma nell'organo sessuale ma INCAPACE E IMPOSSIBILE ALTRESÌ A PROCREARE per causa di detta imperfezione dell'organo della fecondazione, perduto poi a seguito della praticata operazione chirurgica. Occorre peraltro, che si tratti di un'impotenza MANIFESTA E PERPETUA, e per di più ANTERIORE AL MATRIMONIO. Etc. ,,.

Sedulo notetur haec a me heic fuisse recitata non ratione motivi particularisquod in ea causa determinavit ETIAM sententiam nullitatis. nempe impotentia coeundi et ipsa coniuncta cum manifesta impossibititate generandi; sed ut attentionem Lectoris excitarem relate ad modum concipiendi sterilitatem eamque ab impotentia generandi apprime distinguendi, quo usus est iudex qui hanc sententiam exaravit, utut civilis tantum sit magistratus,

poterit utrum mea sententia an potius sententia contradictoria insimulari merito debeat de elenchi ignoratione (8).

Nunc non curo ea quae asserta sunt a patronis sententiae propugnantis impedimentum impotentiae in muliere recisa; sed quod meam sententiam spectat, nihil aliud asserui et sustinendum esse reputo, quam quod " de aptitudine substantiali feminae ad ulteriores fecundationis functiones exercendas, iudicium exclusive peremptorium humano modo ex ordinaria experientia haberi communiter nequit, sed tamtum EX PRAESUMPTIONE fundata in ipsa naturae constitutione: natura quippe, NISI DE EIUS DEFECTU CONSTITERIT, praesumitur in singulis apte constituta ad prosequendum totum intraneum processum quem prima penetratio et seminatio intra vaginam initiavit „ (9).

25. Revera eadem doctrina egregie explicatur a MENOCCHIO in classico opere *De praesumptionibus*. Postquam explicavit quomodo probatio artificialis quae proprie est praesumptio, dividatur in violentam et levem, temerariam et probabilem, ex locis seu sedibus ex quibus deducitur; rectius tamen ex

---

egregie tamen edoctus in scientia et intellectione iuris tum naturalis tum divini positivi a quo repetendum est institutum coniugalis consortii, tum tandem iuris canonici.

(8) P. V. in prima editione, pag. 53 n. 2 et pag. 62; *Recurrunt etiam*, in altera, pag. 50 n. 2 et pag. 60, *Recurrunt praeterea*.

Cfr. etiam OJETTI, *Synopsis*, n. 2417.

(9) Ita in meo opusculo citato, pag. 12 et 13, n. 10 et passim nn. 11, 13; pag. 20 in nota 1; pag. 33, n. 37; pag. 39 n. 44; pag. 41 n. 46. Nec dissimiliter P. V. in prima edit. pag. 53; in altera pag. 59.

Revera in natura quidem innocenti et tntegra, certa et manifesta fuisset absentia cuiusvis defectus in potentia generativa singulorum. Sed peccato originali homo fuit etiam *in suis naturalibus vulneratus* (S. TH. 1, 2, q. 85, A. 3); unde praecipua inter poenas ipsi inflictas, fuit illa possibilitas occulti defectus in potentia generandi; indeque necessitas iudicandi de singulorum potentia. ex sola PRAESUMPTIONE, et quidem *iuris et de iure naturali et divino positivo*, consequenter ad statum poenalem naturae impositum post capitis lapsum. " In statu innocentiae, nulla fuisset STERILITATIS POENA „, ita fere S. BONAVENTURA in 4 Dist. 31, Art. 1, Q. 3, ad 4. Et referetur infra in cap. sexto.

fere omnium sententia dividatur in praesumptionem *iuris et de iure*, *iuris* tantum et *hominis*: illam tandem *iuris et de iure* describit: " quae in lege scripta et ita ab ea sancitur ne contrarium probari possit „. Unde ulterius eam NECESSARIAM esse explicat, maxime si NATURALIS sit: (L. I. C. III, n. 1 sq.). " Dicendum est necessariam dici praesumptionem (iuris et de iure) cum, aliquibus positis, necessario inde efficimus quod intendimus, et hanc violentam vel verius violentissimam nostri appellant... Dicitur haec ARTIFICIALIS necessaria probatio vel a naturalibus principiis vel ab humanis „... N. 5: " Haec violenta praesumptio a naturalibus causis et principiis nata contrariam probationem non admittit, Nam... est hoc argumentum concludens EX NECESSITATE NATURAE, quae vi humana, ut aliter se habeat, effici non potest. Qua enim ratione et medio probari poterit contrarium eius quod natura ipsa quae evidentem affert certitudinem, docet atque commonstrat? „. Q. 14, n. 32: " Est naturalis potentia, facultas quaedam homini data, ad aliquid agendum, sicuti pubertas est facultas naturalis homini data ad procreandum, et e contra impotentia dicitur naturalis nobis insita a natura ne aliqua agere valeamus, quemadmodum dicimus frigidos et impuberes esse impotentes ad generandum. Circa hanc qualitatem versatur plurimum praesumptio: nam lex praesumit filium non fuisse generatum a viro frigido; c. 1 De frigid. et malef. Ubi DD. „.

26. Porro similia docent omnes antiqui et moderni, rationem reddentes huius capitis Decretalium: quia, uti scripsit SANCHEZ (De matr. L. VII, D. 103, n. 8), " cum quilibet naturaliter praesumatur potens, asserenti veram impotentiam, ubi ea dubia est, incumbit onus eam probandi „. Et paulo infra: " Impedimentum (impotentiae) nunquam praesumitur „. Similiter Card. GASPARRI: " Ius naturale ad matrimonium possidet „. (De matr. I, 262).

27. Imo idem certissime supponitur ab Ecclesia permittente matrimonium senis etiam decrepiti, quousque non fuerit omnino incapax habendae copulae, nec iudicio medicorum iuvari arte possit... atque hoc in femina, adiungit SANCHEZ

(l. c. L. VII, D. 92, n. 19-24), quantumcumque vetula, certius est. Passive enim se habet in opere maritali. (Cfr. verba P. LEDESMA in Appendice II). Sic accuratissima praecisione, PALMIERI (Op. mor. [3] VI, n. 889) de matrimonio senum: " Difficultas esse potest quia illud quod senes emittunt, non est idoneum generationi seu fecundationi ovi feminei: habita ergo ratione finis, pares videntur esse eunuchis qui semine carent. Verum in senibus quoque licet attenuatum, verum sperma est cuius minima pars sufficit fecundationi. NEC DEFINIRE LICET QUANDO DESINAT PRORSUS VIS PROLIFICA: CUM NOTUM SIT SENES ALIQUOS PROVECTAE LONGIUS AETATIS GENUISSE. IDEM DICENDUM DE FEMINIS QUOAD OVORUM PROLAPTIONEM. QUOCIRCA NEC ECCLESIA NEC IURA CIVILIUM SENES INTERDICUNT MATRIMONIO. „

28. Revera et Secretarius S. Congregationis Concilii, in folio causae Tudertinae, 7 Sept. 1793, testatus est ex sententia communi AA. rationem cur Ecclesia nunquam habuerit senectutem ut sic, tamquam matrimonii impedimentum, esse quia " nemo est, in decrepita etiam aetate, quin natura vel arte adiutus aliquando coire valeat.„. atque etiam generare, dum nullum a natura definitum est tempus procreationis, et sunt qui in quacumque aetate vim habent generandi... et reapse ultra centesimum annum generarunt... Qua de re nedum inter canonica impedimenta non est senectus, sed indistincte etiam Ecclesia permittit senibus matrimonium, quia habitu saltem potentiam habent generandi (SANCHEZ l. c.) Etc. „

29. Hisce subscribunt praeter citatum PALMIERI, WERNZ, IV, n. 345, nota 29; DE ANGELIS, IV, pag, 256; BUCCERONI, Instit. [6] IV. n. 994, pag. 61; ipse GASPARRI, n. 512, qui infra citabitur. In appendice II retuli luculentum testimonium J. B. FERRERES et aliorum peritorum aetatis nostrae.

Ideo candide fateor me non intelligere qomodo quis possit his refragari atque ulteriorem postulare demonstrationem cur in singulis matrimoniis contrahendis possibilis esse debeat finis primarius, qui in singulis non est obtinendus: nequit enim argui de novitate, modus explicandi matrimonium senum et sterilium, quem adhibui, dum ipsissimus est ab antiquo in

Ecclesia admissus, illam saltem praesumptam generandi possibilitatem expresse includens. (10).

30. Duo itaque sunt certissima: PRIMUM, quod homo a pubertate, praesumptione naturali, necessaria, *iuris et de iure*, praesumi debet potens ad generandum; ALTERUM quod praesumptio haec ideo non admittit probationem in contrarium quia omnis probatio contraria, dum et ipsa est artificialis et praesumptiva ex accidenti naturae vel ex humanis contingentibus liberis, eam nunquam valet totaliter perimere: accidens enim non destruit sed supponit subiectum cui inest, in casu, ipsam generandi potentiam; ad summum poterit eam attenuare quemadmodum se prodit attenuatam in senibus atque in iis feminis quae sterilitate laborant.

31. TERTIUM tamen in ipso iure admittitur, quod huiusmodi praesumptio aliquando debeat cedere veritati: 1° quia de hac habeatur probatio *indirecta*, quae nimirum, ut ait SCHMALZGRUEBER (II, 23, n. 12), " non quidem tendit immediate ad probationem eius cuius contrarium ius praesumit; SED SOLUMMODO OSTENDIT NON DARI PRAESUMPTIONEM, sive non adesse qualitates et circumstantias ad illam requisitas a lege „. Hanc porro exceptionem expresse recensuit canon 1826: " Contra praesumptionem iuris et de iure, tantum indirecta (admittitur probatio), hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum „. – 2° quando allegatur *notorium*, uti omnes docent cum MENOCCHIO l. c. L. I, Q. 67 n. 1 sq. " Ratio est, scribit SCHMALZGRUEBER l. c., quia huiusmodi probatio quae fit per evidentiam facti, numquam censetur exclusa; cum enim constet certo et evidenter de veritate, cessat dubium circa quod versatur praesumptio „. Idque cum exigatur ipso naturae iure, non indigebat commemorari in Codice; eo magis quod in canone citato agitur de praesumptione quae in praecedenti canone 1825 § 1 definita fuerat " rei incertae probabilis coniectura „: cum ergo demonstratum fuerit *evidenter ipsius veritatis factum contrarium*, hoc praesumptioni omni

(10) Cfr. P. V. in altera edit. pag. 53.

substituitur, quae sub isto evidentiae splendore evanescit. Dum e contra aliae oppositae praesumptiones allegatae contra factum quod est praesumptionis fundamentum, uti dicit canon citatus, etsi vim eius diminuere possint, totaliter tamen non extinguent quousque non accesserit factum contrarium evidenter perimens illud fundamentum.

32. Haec doctrina generalis, sine controversia ab omnibus admissa, plene applicata est ab Ecclesia in disciplina quam constanter servavit et servat erga senes et steriles. In iis enim potentiam quantunvis provecta senectute vel protracta sterilitate diminutam, eousque praesumit quousque facto contrario evidenter non innotuerit omnino cessasse. Haec porro praesumptio fundatur in facto quod vel vetula sterilis, vel senex decrepitus quandoque genuerit, cumque ab *esse* ad *posse* valeat illatio, potentia generativa in singulis praesumitur non exstincta prorsus, quamdiu facto contrario non demonstretur evanuisse. (11).

(11) Hoc factum generationis comprobatae in aetate etiam valde provecta sive viri sive feminae a quibusdam medicis derideri solet ut fabula (cfr. testimonia relata in Synopsi P. Ojetti, n. 3418 circa finem); ab aliis nullius momenti habetur, eo quod *accidens naturale* involutionis ovariorum et annexorum organorum quod feminae vetulae accidere consuevit, iuxta illos inducit potius praesumptionem *naturalem* deficientiae generationis in posterum: similiter pro viro cuius constat in senectute virtutem seminis exstingui. Respondetur tamen, concesso facto, distinguendum esse subiectum huius diminutae virtutis tam in viro quam in femina: nimirum haec praesumptio accidentaliter superveniens, in aetate provectiore, diminuit quidem exercitium potentiae generativae: hoc potest et debet concedi; sufficit ad excludendam praesumptionem naturalem *iuris ac de iure* existentiae usque servatae *potentiae* ipsius generandi: iuxta praedicta, id omnino negatur, et consequenter simili modo negatur in sententia contraria quidquam posse inferri ex paritate cum impuberibus qui sub iure antiquo debebant probare malitiam supplevisse aetatem, ut nubere possent: nam haec paritas urgetur potius pro mea sententia: sicut impuberes naturaliter praesumuntur impotentes donec facto evidenti contrario non probaverint suam praecocem potentiam: ita senes et vetulae naturaliter praesumuntur potentes donec facto contrario evidenti non probaverint, suam impotentiam.

Plura facta serissimae generationis irrefragabili testimonio suffulta, ae-

33. Neque OBIICIATUR: concessis etiam raris his casibus, leges morales fundari in iis quae fiunt per se, non per accidens; ideoque praesumptionem naturalem servatae potentiae in illis senibus, elidi etiam contraria illa alia praesumptione naturali involutionis organorum, quae *per se* progressum aetatis comitatur, uti dictum est. Huic enim instantiae responderi potest illa iam adhibita distinctione inter progressivam *diminutionem*, subsistente potentia ipsa, quae conceditur: et totali cessatione praesumptionis potentiae adhuc exstantis in minimo saltem gradu: haec cessatio nequaquam demonstratur praesumptione accidentalis involutionis. Unde negatur consequens et consequentia; et negatur suppositum huius difficultatis: nempe praxim Ecclesiae de qua agitur, fundari in lege *morali:* ipsa fundatur in ipsa naturae lege et in praesumptione naturali ex ea deducta; deinde confirmatur et ostenditur fundata ex factis illis accidentalibus identidem occurrentibus, generationis in tardiore aetate. (12).

34. Revera haec indoles naturalis hominis a Creatore volita, ut nempe prosecutio processus generativi in femina perficiatur organis occultis quae *naturaliter* praesumi debeant suo fini idonea, haec indoles, inquam, factum constituit quod fundat praxim omnium gentium atque Ecclesiae, non arcendi steriles a coniugio, quousque, uti explicavi, non constiterit sterilitatem in eis exclusive produci impotentia substantiali generandi. Haec igitur sunt in nostra controversia, facta ut ita dicam, *iuridica*, nimirum postulata ex quibus deducitur tota ratiocinatio nostra et adversum corruit aedificium, canone

---

tate nostra leguntur collecta v. gr. ab ANTONELLI in opusculo *De conceptu impotentiae et sterilitatis*, Romae, 1900, pag. 82, 83. Prae ceteris de hac re legendus est. P. FERRERES, in opusculo *De vasectomia*, Madriti, 1913, pag. 14, 47, 48, 89,90, ubi evidenter demonstrat veritatem assertionis fecunditatis senum usque ad tardissimam aetatem, eamque tanquam *principium*, nedum uti *factum particulare* tantum, proclamatum communiter a multis hodiernis medicis. Legantur eius verba transcripta in ultima appendice.

(12) P. V. in prima edit. pag. 47; in altera, pag. 44.

1826 superius allegato, praebente intentionem argumento et conclusioni nostrae (13).

35. Hic opportuna est alia animadversio in sententiam contrariam. In ea scilicet contenditur contrarietatem quae fini primario coniugii repugnat, non esse *impossibilitatem* generandi obiectivam qualis occurrit in femina recisa, sed eam quae habetur *intentione subiectiva opposita* (14). quia nempe hac intentione finis *operantis* destruitur finis primarius coniugii; unde omnes concedunt, cum ipso iure, ita non posse iniri coniugium, titulo nimirum vitiati consensus. Iamvero in huiusmodi assertione sententiae contrariae, aperta occurrit contradictio et suppositum quod tota hac mea diatriba demonstrabitur apprime falsum. Contradictio, quia femina conscia suae totalis recisionis, *ipso facto excludit* ex fine *operantis* quem contrahendo sibi praefigit, finem illum coniugii primarium, *operis*, scilicet generationem: ergo titulo vitiati consensus, neque ullo alio (sicuti ego contendo), invalidatur eius coniugium: ergo non sine aperta contradictione asseritur impossibilitas quae in ea manifeste occurrit, non dicere contrarietatem cum fine primario. Porro ideo praecise illa sententia adversa hanc incurrit incohaerentiam, quia ab initio tamquam postulatum assumpsit conditionem huius feminae sterilitati proprie dictae aequiparari.

36. Insuper aliqua in illa sententia affirmari nequeunt, quin confundatur finis *operis* coniugii cum fine *operantis*. Ita in ea tuenda, contenditur (uti superius iam innui) intelligi non posse cur in singulis applicationibus possibilis esse debeat finis qui non est in singulis obtinendus vel quaerendus. (15). Quae assertio manifeste confundit finem *operis* qui ex lege divina naturali, uti infra luculenter apparebit, in contrahendo coniugio essentialiter intendendus est saltem uti praesumptus,

(13) In prima edit. P. V. pag. 56; in altera, pag. 53, 71; in prima pag. 44, 45; in altera pag. 42, 43.

(14) P. V. in altera editione, pag. 67, ubi carpitur P. Bucceroni.

(15) P. V. in prima editione, pag. 58 ad 4; in altera editione, pag. 54.

sensu iam pluries explicato, cum fine *operantis* qui relinquitur libere eligendus a contrahente, iuxta maiorem minoremve probabilitatem ac praesumptionem futuri eventus; vel etiam dirigi potest in unum alterunve e finibus accessoriis connubii contracti, dummodo nihil contrarium intentetur.

37. Similiter ad argumentum partis e diametro oppositae (cf. supra n. 3), scilicet " consensui contrahentium subiici debere obiectum quod saltem praesumi possit substantialiter aptum ad generationem; qualis certe non est mulier recisa ", sententia contraria respondet: hanc aptitudinem sufficienter comprobari in facultate exercendae copulae qualis etiam recisae feminae competit: quia secus matrimonium esset invalidum cum femina quinquagenaria in qua *praesumi* non potest futura generatio, ideoque nec essentiale obiectum intendi. In hac porro responsione, praeter suppositum falsum de quo in praesenti § disserui, occurrit iterum confusio finis *operis* essentialiter requisiti in matrimonio *contrahendo*, cum fine *operantis* qui regulatur iuxta maiores minoresve probabilitates quas physice praebet futurae possibilis generationis, femina aetate provecta. Ad negandum enim necessitatem finis *operis*, in isto contractu, recurritur ad libertatem relictam in electione finis *operantis*.

38. Tandem meae praecise sententiae obiicitur positivam cooperationem ad primarium institutionis finem in omni matrimonio non requiri. (16). RESPONDEO: distinguo hoc antecedens: positiva cooperatio voluntatis tamquam in finem *operantis*, tendentis ad finem primarium institutionis, non requiritur plus quam virtualiter et implicite, in omni matrimonio sive ineundo sive exercendo iam inito: *transeat*; – positiva cooperatio voluntatis tamquam in finem *operis* tendentis ad finem primarium institutionis, non requiritur in omni matrimonio ineundo *subdistinguo*: tendentis ad finem primarium institutionis, saltem uti non certo facto exclusum, sed uti

(16) P. V. in prima editione pag. 52; in altera, pag. 60. Cf. in altera editione, pag. 52 ad 1. *Finis tamen iste;* pag. 63 sq.

praesumptum adhuc naturaliter possibilem, non requiritur in omni matrimonio ineundo, *nego*: – ... tendentis ad finem primarium institutionis certo et *physica* evidentia demonstratum possibilem, non requiritur in omni matrimonio ineundo: *concedo antecedens.*

39. Subnectitur aliqualis probatio illius antecedentis: " Non apparet quomodo serio offerri possit haec cooperatio in omni matrimonio, v. gr. cum duo senes nuptias inter se iungunt „. – *Distinguo* assertum: tamquam in finem *operantis,* qui regulari solet iuxta ea quae probabiliori coniectura communiter contingere solent: *concedo* vel *transeat:* – tamquam in finem *operis subdistinguo:* eadem ratione ac superius.

Insistitur tandem inde fictitiam esse hanc necessitatem consentiendi in generationem: – *distinguo* eodem modo hoc consequens: tamquam in finem *operantis*, *transeat:* – tamquam in finem *operis: subdistinguo* eadem ratione.

Videtur itaque omnino manifestum quomodo huiusmodi sententia aequivocatione nitatur et confusione utriusque illius finis et demum suam thesim impingat scopulo in quo naufragium infeliciter fecit ingenium anomalum Basilii Pontii cum paucis aliis; qua de re infra.

§ III. De relatione reali per coniugium constituta.

40. Cum in mea sententia cardo totius controversiae reponatur in relatione reali quae utrique contrahenti invicem competit ex habitudine quam uterque habet ad finem proprium coniugii: iuvat nonnulla in mentem revocare quae de hoc praedicamento relationis generatim, et in matrimonii vinculo speciatim explicuit S. Thomas, ut evidentius innotescat vis metaphysica qua *etiam* sub hoc respectu roboratur argumentum. Etiam, inquam, sub hoc respectu, quia idem argumentum se prodit etiam metaphysicum sub alio respectu quem in citato meo opusculo (n. 19) conatus sum extollere: nimirum quatenus desumitur ex parte finis *operis* tantum, qui essentialis est coniugio*:* si hic contrarie defecerit, contractus non

poterit esse invalidus nisi ex capite consensus in ipsum, essentialiter vitiati: finis enim, uti docent ontologi, necessario spectatur in ordine ad voluntatem quam movet uti bonum.

41. " Ratio propria relationis accipitur... secundum comparationem ad aliquid ad extra „ (17). Hinc tria oportet in ea distinguere: subiectum, terminum et fundamentum: fundamentum scilicet est id quod in causa est cur subiectum ad terminum referatur: si autem relatio realis est tam in subiecto quam in termino, oportet quod in utroque fundamentum reale existat: v. gr. actio generativa qua aliquis pater denominatur; passio qua in prole resultat filiatio. (18).

42. Porro matrimonium (19) est in genere relationis nec est aliud quam coniunctio. Cum autem relatio fundetur in aliquo sicut in causa, ut similitudo in qualitate, et in aliquo sicut in subiecto, ut in ipsis similibus: ideo relatio quae est matrimonium, ex una parte habet unitatem in utroque extremorum, scilicet ex parte causae, quia *ad eamdem numero generationem ordinatur*; sed ex parte subiecti habet diversitatem secundum numerum; et ideo haec relatio est una ex parte causae et multiplex ex parte subiecti. Ita S. Doctor.

43. Haec profecto, si velimus aliis verbis exprimere, significant ad essentialem matrimonii rationem quae ab ipso in citata quaestione explicatur, omnino requiri ut fundamentum ex quo provenit matrimonio ratio illius propria coniunctionis quae ipsum essentialiter et specifice constituit, reapse inveniatur in utroque termino relativo, in marito et in uxore: secus

(17) S. Thomae Summa th. 1 P. Q. 28, A. 2, in c.

(18) Praecise huic irrefragabili necessitati metaphysicae huius specifice proprii fundamenti realis, utrinque requisiti, refragatur adversa sententia, quippe qua denegatur necessitas in utroque contrahente, illius fundamenti realis, ex quo SOLO RESULTARE POTEST SPECIFICA CONIUNCTIONIS MATRIMONIALIS RELATIO. IDCIRCO ut inferius demonstrabitur, PACTI CONIUGALIS SANCTITAS IN EA SENTENTIA SALVARI NEQUIT.

Cfr. P. V. in altera editione, pag. 52, *Finis tamen*: in prima, pag. 55, prima paragr.

(19) S. Th. Supplem. Q. 44, A. 1.

enim deesset ex parte fundamenti, causa ADAEQUATA illius *specificae unitatis* quam relatio constituit inter extremos terminos. Iamvero hoc unum idemque fundamentum coniunctionis illius specificae quae est matrimonium, explicatur in corpore articuli primi, esse id quo maritus et uxor " ordinantur ad UNAM GENERATIONEM ET EDUCATIONEM PROLIS, ET ITERUM AD UNAM VITAM DOMESTICAM „:

Ergo ad essentialem matrimonii rationem omnino requiritur ut in utroque termino habitudo subsistat ad unam generationem, educationem prolis atque ad unam vitam domesticam. In praesenti quidem praescindere possumus ab habitudine in utroque contrahente requisita ad educationem prolis atque ad individuam vitae rationem, quae maxime consistit, in firma voluntate ad utrumque scopum relata, quaeque aliorum adiumento suppleri potest, dum habitudo ad generationem prolis, prout ratione utrique contrahenti diversa competit, ex diversitate sexus, nequit profecto suppleri a quopiam tertio, quin totaliter subvertatur naturalis oeconomia huiusce contractus fundamentalis in humano consortio.

44. Sistamus idcirco in hac ultima habitudine ad generationem. Porro ordinatio huiusmodi sive relatio, in utroque contrahente resultat ex physica potentia qua pro sexu suo pollet ad operationem generativam. Operatio autem generativa, cum suapte natura sit complexa et in quadam functionum subordinatione constituta, per copulam initio promovenda sit, habet has varias partes potentiales et ipsas relatione transcendentali (20) invicem connexas: fere sicut connectuntur in systemate hominis intellectivo, sensus, phantasia, intellectus agens et possibilis. Tolle autem intellectum agentem, aut intellectum possibilem, et eo ipso phantasia et facultas sensitiva destituuntur relatione transcendentali ad intellectionem et ver-

(20) De hac satis est ex multis DD. unum audire, v. gr. SANCT. SCHIFFINI, *De principiis*, n. 354, II: " Relatio transcendentalis et praedicamentalis in hoc praecise differunt quod prior est essentialis ipsi rei quae refertur; altera e converso est, extra eius essentiam, ac propterea ei accidentalis „.

bum mente concipiendum, quantumvis in se suaque functione perfecte compleantur.

45. Similiter ergo si positive exclusa fuerit aliqua ex potentiis illis intermediis operationis generativae, copula qua ipsa sumit initium, utut complete in seipsa perfecta, ipso facto exspoliatur relatione transcendentali ad generationem. Fundamentum quidem *materialiter* existit, atque initialiter, in potentia coeundi; sed relationis resultantia evanuit, quae tamen necessaria erat saltem praesumptive (uti explicatum est), ut potentia haec materialis coeundi posset aestimari concurrere ad constituendum coniunctionem quae specifice matrimonium est, non vero merum concubinatus consortium. (21).

46. Hae notiones metaphysica necessitate statuuntur non ex postulato alicuius systematis sed ex irrecusabili rerum essentia quae quotidie ab unoquoque vel rudi, homine, instinctu, ut ita dicam, naturali urgetur in multis materiis, circa quodcumque opus opera multipliciter subordinata complendum. Nemo bajulus trochlearum systemate utitur quarum una intermedia, quia fracta, motum cohibet a praecedentibus initiatum. Quis volens acquirere instrumentum computandi temporis successionem, emit horologium a quo noverit subtractam rotulam intermediam, motus transmissoriam?

(21) " Causa habitudinis inter duos est *aliquid inhaerens utrique*, unde ex quacumque parte fiat mutatio illius quod habitudinem causabat TOLLITUR HABITUDO QUAE EST INTER UTRUMQUE " ita S. THOMAS. *De potent.* Q. 7, A. 8, ad 5. Eadem a P. SCHIFFINI, l. c. n. 556; II, egregie explicantur de relatione utrinque reali: " In relationibus quae removentur deficiente termino, fundamentum adaequate inspectum, desumendum est non ex parte unius extremi duntaxat, sed etiam ex parte alterius: ac propterea ex alterutra parte, fundamento deficiente, deficit etiam relatio quae cum eo identificatur ".

CAPUT TERTIUM

Propositio. – *Si mulier cognoscatur complete et irreparabiliter excisa, nec ipsa nec vir potest elicere consensum qui matrimonium facit.*

His praesuppositis quae hucusque explicata sunt, conclusio hac propositione enuntiata, sponte fluit ex ratiocinio ex ipsius Angelici doctrina et verbis evolvendo.

§ 1. Demonstratio analytica a S. Thoma exhibita.

47. Consensus qui matrimonium facit, implicite fertur in carnalem copulam non aliam quam quae ordinat utrumque contrahentem ad unam generationem.

Atqui si mulier cognoscatur complete et irreparabiliter recisa, nec ipsa nec vir potest consensum elicere in carnalem ipsius copulam quae ordinet utrumque contrahentem ad unam generationem.

Ergo si mulier cognoscatur complete et irreparabiliter recisa, nec ipsa nec vir potest elicere consensum qui matrimonium facit.

Probatur maior : Consensus qui matrimonium facit, fertur In mutuam potestatem respectu carnalis copulae, uti scripsit Angelicus in Suppl. Q. 48, A. 1.

Atqui mutua potestas respectu carnalis copulae, implicite continet carnalem copulam sicut causa effectum.

Ergo consensus qui matrimonium facit, implicite fertur in carnalem copulam.

Ulterius : Copula carnalis cuius fit potestas in matrimonio, sicut docet idem, in Suppl. Q. 44, A, 1, non est nisi illa quae in utroque contrahente ordinatur ad unam generationem.

Ergo consensus qui matrimonium facit, implicite fertur non in aliam copulam carnalem quam in eam quae ordinat utrumque contrahentem ad unam generationem.

Probatur minor: Si mulier cognoscatur complete et irreparabiliter recisa, positiva contrarietate excluditur possibilitas ipsa resultantiae ex eius copula, transcendentalis relationis ad unam generationem.

Atqui nequit consentiri in id quod impossibile cognoscitur.

Ergo si mulier cognoscatur complete et irreparabiliter recisa, nec ipsa nec vir potest consensum elicere in carnalem copulam ipsius, quae ordinet utrumque ad unam generationem.

§ II. Corollarium. Copula huiusmodi feminae nequit esse coniugalis.

48. Copula huiusmodi, utut in suo esse physice perfecta, cognoscitur omnino destituta reali habitudine qua generationem efficere possit.

Ergo consensus in huiusmodi copulam non est consensus in copulam proprie coniugalem.

Quare non sine petitione principii asseritur in adversa sententia, hanc copulam servare suam in finem ordinationem, quia in sua physica indole vel sola, habet quantum requiritur, et sufficit ut in hunc finem tendat, ideoque sit vere, plene et perfecte actus coniugalis. Nam minus de fine quam de ordine naturae servando solliciti esse debent coniuges. (1). – Respondeo: Haec revera supponunt, quod metaphysice demonstratum est esse falsum, relationem realem coniugali consensui essentialem, subsistere absque adaequato utrinque fundamento: Insuper iterata aequivocatione concludunt in allegata ratione, a fine *operantis* ad finem *operis*. Verum enim est relate ad finem *operantis* tantum, coniuges minus de fine quam de ordine naturae servando debere esse sollicitos: ne scilicet, copulam perfectam deturpent, contra naturam; at relate ad finem *operis* contractus, id praecise controvertitur neque ut postulatum non

(1) P. V. In prima editione pag. 58, in altera pag. 55. Citatur etiam explicatio data a D. Alois. Desmet. *De spons et matr.* n. 278.

probatum licet assumere, ipsam subsistere etiam exclusa relatione reali ad generationem, sensu explicato. (2).

49. Vanumque est, quod urgetur, hanc copulam feminae recisae in tantum suum ordinem servare ad finem generationis, in quantum " est actus qui *generice* ad istum finem ordinatur, quamvis non ordinetur *in individuo*; et, etiam in individuo servat ordinem ad finem secundarium „ ; ideoque eam copulam esse actum coniugalem. Liceat enim respondere tam in genere quam in individuo relationem realem ad generationem praesumptam saltem ut possibilem, omnino cessasse in illa femina; nihilque in ea remanere nisi physicum fundamentum, sed relatione privum. Haec distinctio igitur ordinis generici et individualis, nihil iuvat, ut copula in contractu ineundo intenta a femina recisa, possit esse id quod non est. Quod autem additur huiusmodi copulam posse ordinari ad finem secundarium coniugii, respondeo hoc relate ad contractum ineundum nihil referre, quia satis non est validitati contractus, ut ordinem dicat exclusive ad finem matrimonii secundarium. Quoad matrimonium iam contractum, et ipsemet concedo copulam non prohiberi uxori quae recisionem passa fuerit post initum valide contractum.

50. Quocirca mihi non nocet opinio tam Bucceroni quam Palmieri, qui loquendo equidem de certa generandi impotentia quae etiam ignorata in persona reputata sterili, efficeret occulte nullum eius matrimonium, logice existimant defectum ubivix certo innotuerit, certo etiam illicitam reddere copulam horum reputatorum coniugum. (3). Verum haec sequela evitatur in mea sententia: nam *alio titulo* invalidum assero illud recisae matrimonium, ut talis cognitae, nempe ex capite tantum vitiati consensus; *alio* vero *titulo*, non illicitum eius coitum,

(2) Cfr. quae superius explicata sunt, n. 9, 12, 24, quomodo ipse naturae conditor voluerit simul hoc poenae peccati originalis consectarium, sterilitatem nempe, et possibilitatem ut ipsa oriretur ex defectu substantiali potentiae sed omnino occulto et impervio.

(3) P. V. in prima editione pag. 54, in altera pag. 51. Bucceroni, Instit. IV, n. 1965; Palmieri, Op. mor. VI. n. 865, in nota.

coniugio iam valide contracto ante recisionem, quia scilicet, hic coitus nequit dici esse contra naturam pro coniugibus: dum a P. BUCCERONI censetur esse contra naturam, utpote non referibilis ad generationem ideoque nec ad sedandam concupiscentiam, quae sedari non potest nisi in ordine ad illam. Atvero cum nihil fiat actu ad positive impediendam eam, et copula ista in se sit physice completa iuxta naturam, ubi ius est quaesitum in eam, non apparet cur minus liceat quam omnes actus incompleti. In iis enim in tantum solummodo requiritur *inter coniuges* ut sint in ordine ad generationem, in quantum eam non impediant positive, sicut impediret copula qualicumque ratione onanistica, vel simplex pollutio. Id porro ideo praecise quia haec relatio realis necessario erat saltem praesumenda nec plus nec minus pro contractu *ineundo*, quod in subiectis de quibus loquimur locum habuerat.

51. Neque iterum urgeri potest in mea sententia invaliditatem contractus ex capite vitiati consensus, reduci ad errorem substantialem circa obiectum: ideoque etiam errore non detecto, obiectum erratum in se, quamvis occultum, vitiare contractum: quod tamen diffiteor (4). Hanc obiectionem iam refutavi nn. 9 sq. postquam in meo opusculo nn. 45 et 46 eidem satisfeceram. In praesenti igitur sufficiat negare assertum agi nempe de errore circa impedimentum personam inhabilitans. Dum enim defectus omnino latebat, nullum effectum producebat nisi sterilitatem proprie dictam (cfr. nn. 20–23). Iam vero ipsa naturae humanae indoles, vulneratae consequenter ad peccatum capitis, exigebat ut haec latens impotentia generandi inhabilitatem non induceret, sed dum mulier illa sensu solummodo experimentali et phaenomenico, ut ita dicam, sterilis diceretur, poterat et debebat praesumi naturaliter potens ad generandum: quod sufficit ad validitatem coniugii ineundi. Atvero cum praesumptio naturalis in femina recisa cessaverit manifesto impotentiae defectu, praedicatum sterilitatis ipsi ulterius ne-

(4) P. V. pag. 50, in altera editione.

quit attribui. Tota autem praesens dissertatio eo vergit ut demonstret evidens illud discrimen inter sterilitatem et manifestam generandi impotentiam.

§ III. Varii et praecipui textus S. Thomae vindicantur a perversa interpretatione.

52. S. Thomas constantissimus est in asserendis praemissis ex quibus deducta est ultima conclusio. Quod ut in propatulo ponatur, liceat mihi mutuari textus ipsos. S. Doctoris quos congessit P. Bucceroni in Instit. IV, 994, etsi non plene assentiam consectariis nonnullis eiusdem theologi ex relata Angelici doctrina.

" Matrimonium principaliter est in officium naturae „. (Suppl. Q. 42, A. 2, ad 2.).

" Coniunctio viri et uxoris dicitur naturalis principaliter propter prolis productionem „. (Suppl. Q. 55, A. 3, c.). Non tamen ita ut ipsa, in quantum est *operatio* ideoque secunda rei perfectio, sit de integritate matrimonii, sed in quantum pertinet ad *ipsum rei esse*, estque eius prima perfectio, " qua facultas datur „ ad hanc commixionem propter prolis productionem. (Suppl. Q. 42, A. 4).

Unde concluditur illam commixtionem esse matrimonio principaliter naturalem, quae saltem POSSIT esse causa generationis: si enim excluditur ab ea possibilitas producendae prolis, profecto nequit dici homini principaliter naturalis, propter eam: sane e contrario " concubitus contra naturam non habet commixtionem seminum quae possit esse causa generationis „. (Suppl. Q. 55, A. 3, ad 3.).

53. Iamvero ex his ita ratiocinatur Bucceroni l. c.: " Accessorium sine principali esse non potest. Et sane matrimonium institutum secundario in remedium concupiscentiae aliud matrimonium sui generis non est, sed est illud idem matrimonium ante peccatum institutum, ita ut illi institutioni in officium naturae ante peccatum, alia deinde acesserit institutio in remedium concupiscentiae. (Suppl. Q. 42, A. 2, c., ad 2,

ad 3.). Si ergo impossibile est matrimonium secundum primam institutionem (5), quomodo haberi potest matrimonium secundum eius secundariam institutionem ? „..... “ Impossibile igitur est CONTRACTUM INIRE MATRIMONII, ut moderni quidam asserunt (6), intendendo eius secundarium finem, positive excluso fine primario, in quo dumtaxat ille finis secundarius quaerendus est. „ Scilicet, dum recisio feminae agnita impedit resultantiam relationis illius essentialissimae.

54. Revera, ut recte advertit BUCCEROMI ibidem, “ natura non intendit illam copulam propter se, ut in illa sistat, sed propter aliud, propter generationem „. Nempe “ natura, ait S. D., in matrimonio intendit prolem „ (Suppl. Q. 49, A. 5, ad 1.). Et contra gent. L. III, cap. 122 : “ Ad generationis utilitatem coitus ordinatur... sic igitur ordinata esse seminis debet emissio, ut *sequi possit* et generatio conveniens et geniti educatio „.

55. Praeterea dum in matrimonio fides et proles si considerantur *in seipsis*, pertinent ad usum matrimonii, (matrimonium) “ invenitur sine fide et prole quia esse rei non dependet ab usu suo... Alio modo possunt considerari fides et proles, *secundum quod sunt in suis principiis*, ut pro prole accipiatur *intentio prolis* et pro fide debitum servandi fidem, SINE QUIBUS ETIAM MATRIMONIUM ESSE NON POTEST, quia haec in matrimonio ex ipsa pactione matrimoniali causantur : ita quod si aliquid contrarium his exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium ; et sic ac-

(5) Scilicet sine illa relatione obiectiva et reali ad generationem saltem praesumptam possibilem, quae relatio est eidem propria et essentialissima, uti infra expresse audiemus a S. THOMA.

(6) Haec ultima verba Auctor addidit in sexta editione quam anno 1915 curavit ipse ante mortem, postquam plura publicata fuerant responsa contraria S. Congregationis de Sacramentis, pro casibus particularibus, et a P. BUCCERONI probe cognita, quippe qui consultor erat huius Congregationis, valde aestimatus. Cfr. v. gr. P. J. B. FERRERES, iam ab anno 1913 ex illis responsis ratiocinantem in opusculo *De vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae*. Madrid, Administración de “ Razon y Fe „ 1913. Editio altera correctior et auctior.

Nemo igitur conqueratur me S. Congregationis auctoritatem detrectare.

cipiendo fidem et prolem, constat quod PROLES EST ESSENTIALISSIMUM IN MATRIMONIO, et secundo fides et tertio sacramentum „. (Suppl. Q. 49, A. 3, c.) (7).

56. Porro relate ad subordinationem finium in matrimonio, sic expresse S. THOMAS: " Dicendum quod in prole non intelligitur tantum procreatio prolis, sed etiam educatio ipsius, ad quam sicut ad finem ordinatur tota communicatio operum, quae est inter virum et uxorem, in quantum sunt matrimonio coniuncti... Et sic in prole QUASI IN PRINCIPALI FINE, ALIUS QUASI SECUNDARIUS INCLUDITUR „. (Suppl. Q. 49, A. 2, ad 1).

Similiter ita matrimonium est in remedium concupiscentiae, ut simul " principaliter sit in officium naturae „. Suppl. Q. 42, A. 2 in c. et ad 2). Et si coniux " intendat (in actu coniugali) vitare fornicationem in se (nec solum in altero coniuge cui reddit debitum) sic est ibi aliqua superfluitas... nec ad hoc est matrimonium institutum nisi secundum *indulgen-*

(7) In tractatu dogmatico *de matrimonio*, Th. II, in fine, P. PALMIERI, inaccurate hunc textum interpretatur, perinde ac si S. THOMAS dicendo heic: " intentionem prolis „, " matrimonium considerasset CUM EIUS USU SEU CUM PROLE „. S. THOMAS e contra opponendo distinguit, SOLAM PROLIS INTENTIONEM IN CONTRACTU INEUNDO, a prole in se ipsa, id est IN USU COPULAE. Sed egregius vir deceptus fuerat eo tempore, sensu apparenti responsorum S. Officii, et aequivoce sumpta impotentia sterilium et senum, ut fit manifestum ex eius verbis in thesi I, n. III: " Item expedita potestas... „. — Ceterum doctrina tradita a S. THOMA in isto A. 3, Q. 49 Supplementi, fuit expresse assumpta, teste SANCHEZ, a RICHARDO A MEDIAVILLA (mortuo anno 1307 vel 1308), in 4. D. 31, n. 2, q. 2; a IOANNE DE TURRECREMATA (mortuo a. 1468, post C. *Sic non omnis. His itaque*, a. 2, 22, q. 2 (qui duo fuerunt vera doctrinae theologicae et canonicae oracula, saeculo XIV et XV); deinde a PETRO DE LEDESMA (mortuo a. 1616): *De matr.*, Q. 48, a. 2; et propugnata a TH. SANCHEZ (mortuo a. 1610): *De matr.*, L. II, Disp. 29, n. 12, quem, uti scripsit BALLERINI, omnes secuti sunt. Eidem favent et praecipui Angelici Doctoris adversarii, IOANNES DUNS SCOTUS, cum tota sua schola; et DURANDUS A S. PORTIANO; quorum textus a me transcriptos retineo in meis adversariis, ne Lectorem citationibus videar opprimere.

tiam... „ (Suppl. Q. 49, A. 5 ad 2). (8). Ideo est secundarie tantum in remedium concupiscentiae.

57. Nec logice potest recusari haec conclusio, quia cum S. THOMA (in loco superius recitato, Q. 49, A. 3), cum omni schola catholica, imo cum expressa S. Sedis declaratione tam in antiquo iure (Cap, fin. *De cond. appos. in despons.*) quam in novissimo (can. 1092 2°) adversa sententia nequit non agnoscere conditionem de futuro, contractui annexam contra matrimonii substantiam, illum reddere invalidum. Cur. enim, nisi eo quod huiusmodi annexa conditio excludit e consensu in causam contractus, ius ad generationem, vel aliud quid ipsi essentiale, sicut audivimus a S. THOMA? A fortiori ergo cohaerenter affirmari debet invalide contrahere qui *de facto* excludit e suo consensu, nedum ius solummodo ad generationem, sed eius possibilitatem vel ipsam.

58. NEQUE OBIICI POTEST S. THOMAM in Suppl. Q. 48, A. 1, ex professo docere quod consensus qui matrimonium facit, est " consensus in associationem viri et feminae, *in ordine ad carnalem copulam,* et alia quae ex consequenti ad virum et uxorem pertinent, secundum quod eis datur potestas ad invicem respectu carnalis copulae „. Porro idem fere repetit ibidem Q. 58, A. 1, ad 1. Iamvero potentia ad copulam carnalem non est potentia ad generandum. Hinc accurate semper distincta est potestas coeundi et potestas generandi.

VERUM haec obiectio nihil est, ut bene advertit etiam BUCCERONI l. c.; nec S. THOMAS debuit expresse repetere in singulis articulis quod multoties et constanter significaverat in omnibus his quaestionibus de matrimonio, in tot locis superius relatis; copula nempe illa cuius invicem ius sibi tradunt nupturientes, est copula non qualiscumque sed *coniugalis*, quae talis non est nisi ORDINETUR AD GENERATIONEM, saltem praesumptam

(8) Haec est doctrina quam infra audiemus expresse propositam a S. AUGUSTINO, interpretante verba Apostoli in 1 Cor. 7, 2, 5, 6. Eam autem theologi communiter intelligunt aliquam venialis peccati significationem, solum in delectationis fine *exclusive* quaesito inter coniuges.

possibilem. Omnino legatur hac de re ipse BUCCERONI non solum loco citato, pag. 59 in fine et pag. 60, ubi simul congerit textus a me seiunctim recitatos, sed etiam pag. 57 paragr. *Consequenter* et pag. 58 ubi nominis matrimonii et definitionis significationem enucleat ipse Angelicus ex generationis relatione; porro adduntur textus valde expressi iuris canonici Decretalium ac iuris romani in eumdem sensum. Idcirco valde opportune concludit ibi BUCCERONI: " Si secus esset, mutanda foret matrimonii definitio et obiectum contractus matrimonialis. „

59. Auctoritati doctissimi huiusce theologi, accedat suffragium eximii canonistae, A. DESMET, qui in praesenti partem adversam patrocinatur: hic enim in suo opere *de sponsal. et matrimonio*, n. 125, textus S. THOMAE suos facit, nempe, 2, 2. Q. 153, A. 2, et contra gent. L. III, c. 122, ac N. 53, propugnat eamdem doctrinam de fine *operis* matrimonii ineundi.

§ IV. Alius textus S. Thomae; de senibus, restituitur verae interpretationi.

60. Cum adversa sententia (9) subsidium sibi quaerat in verbis S. THOMAE de matrimonio senum in remedium concupiscentiae et in simili S. BONAVENTURAE testimonio: perpendere iuvat utrum haec meae potius sententiae toto suo pondere non suffragentur. Serius ex professo de S. BONAVENTURA; nunc textus S. THOMAE ad verum obviumque eorum sensum restituendi sunt.

Ipse in IV Sent. Dist. 34, Q. 1, A. 2 (vel in Suppl. Q. 58, A. 1, ad 3) secum disputat utrum frigiditas matrimonium contrahendum impediat, ac tertio sibi obiicit: " omnes vetuli sunt frigidi. Sed vetuli possunt matrimonium contrahere. Ergo frigiditas non impedit matrimonium „. Porro cum in corpore articuli et in responsione ad primum, ipse doceat contractum

(9) P. V. in prima editione, pag 48, 53, 56, 57, 67; in altera, pag. 45, 49, 53, 65, 71.

fore nullum si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit, quia potentia ad copulam est de essentia matrimonii: eo ipso supponit et senem nulliter contracturum si constiterit ipsum esse irreparabiliter impotentem ad coeundum. Quo praesupposito, ecce responsio eius ad tertium: " Vetuli quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam: et ideo conceditur eis matrimonium, secundum quod est in remedium: quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae „.

61. S. D. in hoc loco non loquitur de iis senibus quorum *singulorum* copulam *physice constat* non posse esse prolificam: sed generatim de senibus; atque inter eos *quandoque* aliqui *indeterminate* dantur quorum copula non est amplius prolifica, etsi de eorum *singulorum* ineptitudine non constiterit: de hac enim experimentali demonstratione in singulis instituta, ne verbum quidem.

Porro de senibus ita indiscriminatim spectatis cum adsignificatione per adverbium " quandoque „, impotentiae ad generandum tamquam status qui *iuxta communiter contingentia* tantum, nec modo exclusivo comprobatur: de huiusmodi, inquam, senibus ipse dicit quod Ecclesia ratione talis senectutis, eis concedit matrimonium quod ipsi ineunt EX FINE OPERANTIS remedii, potiusquam generationis. Eo ipso enim quod dicat senes non semper, sed " quandoque „ tantum sine semine coire, agnoscit servari posse in eis *generatim* spectatis, FINEM OPERIS cui contractus matrimonialis suapte natura et essentia refertur, sicuti ipse docet in eodem opere ac fuit supra demonstratum.

62. Aliis verbis: S. D. supponit in singulis illis senibus de quibus eo modo generali loquitur, non fuisse certe demonstratam impossibilitatem generandi, ideoque non fuisse experimentali demonstratione peremptam et omnino exclusam *praesumptionem naturalem* potentiae generandi: quae, utut minima, sufficit sub respectu finis *operis* coniugii ineundi, ad non arcendum huiusmodi, senem a nuptiis. Sed cum finis *operantis* in eligendo matrimo-

nio, dirigatur potius relate ad generationem effective secuturam vel non, ex iis quae communiter contingunt, non vero ex effectu rarius secuturo, ideo ii senes plerumque non nubunt nisi in remedium concupiscentiae, quia prolem non amplius sperant; atque Ecclesia, eodem fine *operis* supposito, atque ex eodem fine *operantis* eis concedit matrimonium.

Qui cum certissime sit sensus obvius atque ab Angelico intentus in illo textu, est omnino arbitrarium et incohaerens cum tota eius doctrina, ulterius detorquere illa verba, uti conatur adversa sententia, ad significandum verum matrimonium contractum, etiam manifeste sublata illa relatione ad generationem, ac substituto fine *operis* exclusivo medendi concupiscentiae, vel quaerendi adiutorium et solatium vitae individuae.

63. Sufficiat ad abundantiam, insistere in praecipuo eiusdem Angelici textu superius iam relato. Sane dum ipse dicit senibus matrimonium concedi, certissime supponit in eis non deficere id quod constanter requirit ad validitatem contractus: " intentio prolis et debitum servandi fidem, SINE QUIBUS ETIAM MATRIMONIUM ESSE NON POTEST,.... haec in matrimonio ex ipsa pactione coniugali CAUSANTUR; ita quod si aliquid contrarium huiusmodi exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium; et sic accipiendo prolem et fidem, proles est essentialissimum in matrimonio. Etc. „. (Superius n. 55).

Porro ambigi nequit quin his verbis, *intentio prolis*, a S. D. significetur finis *operis* seu *causa* contractus, nequaquam vero finis tantum *operantis*: dicit enim eam prolis intentionem ex ipsa pactione coniugali causari, i. e. esse causam obiectivam finalem ipsius contractus; insuper loquitur de consensu *qui matrimonium facit*, ideoque de consensu qui in contrahendo fertur in illud obiectum proprium sive causam contractus. Equidem addit quod si ex intentione *operantis* contractum, adderetur expresse in eo aliquid ipsi contrarium, non foret verum matrimonium: at vero ideo hoc eveniret quia conditio contractui annecteretur contraria eius substantiae, quae substantia scilicet est obiectiva, propria et essentialissima eius causa, INTENTIO PROLIS.

64. Idipsum confirmatur ex altera parte distinctionis quam paulo ante S. D. exhibuerat in eodem contextu, de prole. Dixerat nimirum prolem spectatam in seipsa " pertinere ad usum matrimonii „ ... et " matrimonium inveniri sine prole quia esse rei non dependet ab usu suo „. Scilicet prolem in quantum dependet ab exercitio iuris traditi in ipso contractu, posse deficere si finis *operantis* (honestus vel inhonestus) (10) excludat ipsam, quin inde destruatur contractus, cui solum intentio prolis tamquam finis *operis* essentialis est.

65. Tandem eadem res alio etiam modo demonstrari potest in illo textu Angel. Doctoris. Ipse nimirum addit ibi, uti iam commemoravi, " si aliquid contrarium huiusmodi exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium „. His porro verbis significat quod contrahentes dum consentiunt in matrimonium, praesumi debent intendisse eo consensu, prolem modo quo haec intentio prolis est iuxta

(10) In 2, 2, Q. 154, A. 1, corp. *Dupliciter uno modo.* explicatur quomodo *circumstantia* copulae " potest non convenire rectae rationi... quia habet repugnantiam ad *finem* venerei actus (scil. finem *operis*); et sic in quantum *impeditur generatio prolis*, est vitium contra naturam, quod est in omni actu venereo *ex quo generatio sequi non potest* „.

Porro est prorsus contra essentiam matrimonii, intentioni verae copulae ex qua in subiecto possit saltem praesumi possibilis generatio, substituere illius copulae intentionem ex qua possibilitas generationis positive excludatur, quia organa necessaria deesse noscuntur!

Similiter generatim et sine ulla restrictione, S. Thomas in *Summa contra gentes*, L. III, cap. 122, *Ex quo patet.* scripsit: " Contra bonum hominis est omnis emissio seminis tali modo quod generatio sequi non possit „. Hic, omnino arbitrarium esse videtur, *modum* hunc explicare tantum ipsi copulae *intrinsecum*, nec etiam ipsi quidem *extrinsecum*, sed ex parte subiecti ita contrarium generationi ut eam patenter excludat.

Utile est conferre etiam in 3 P., Quaestionis 29ae articulum 2 in corp. ubi demonstrans verum intervenisse coniugium, Mariam inter et Ioseph, distinguit primam et secundam coniugii perfectionem, hanc obtineri per actum coniugalem, illam per consensum in copulam ad prolem generandam; quia, ait, " finis autem matrimonii est proles generanda etc. „. Unde concludi verum fuisse eorum matrimonium " quia uterque consensit in copulam coniugalem etc. „. Cfr. Suarez. in 3 p., Disp. VII. Sect. I, n. 9.

eius explicationem, de essentia matrimonialis contractus. Ideo quidquid etiam pacti fuerint extra contractum, non potest censeri praevaluisse illi voluntati absolutae in contractu, verbis expressae; sed omnino requiritur ut in ipso contractu ea contraria intentio fuerit significata praevalere. Sed, quaeso nunc, cur hoc exigitur a S. THOMA? Ideo praecise quia aliter constare non potest de perversione illius intentionis absolutae, in eo qui alioquin NONDUM FUIT DEMONSTRATUS IMPOS AD GENERANDUM: de his enim solis constanter loquitur ipse in illo contextu.

Quoad illos vero de quibus nunc disputamus, et de quibus, uti de femina recisa, constiterit omnino absoluta et irreparabilis impotentia generandi, ut mentem S. THOMAE noverimus ulterius inquirere oportet utrum huiusmodi notitia sit compossibilis cum illa intentione prolis quam idem ipse exigit ad essentiam contractus.

Jamvero dicimus quod haec notitia est cum intentione a S. D. requisita, eadem ratione incompossibilis qua ratione ipse asserit esse incompossibilem cum illa intentione prolis, voluntatem contrariam, in contractu expressam. Atqui haec voluntas ideo est incompossibilis cum intentione prolis quia ipsi praevalet, eam excludendo. Ergo, iuxta mentem S. THOMAE, a pari, eiusmodi notitia. Et sane TAM illa intentio contraria, QUAM illa notitia recisionis completae, EXCLUDIT AB OBIECTO ET CAUSA CONTRACTUS RELATIONEM AD PROLIS GENERATIONEM, saltem non demonstratam impossibilem: quam relationem S. D. exigit ad constituendam essentiam contractus coniugalis cui assentiunt nupturientes.

Huic autem manifestae contradictioni adversa sententia nihil habuit reponendum, nisi negationem (11) non aliter quam simplici negatione contradictum est, uti superius animadverti, necessitati metaphysicae relationis ad prolem in contractu matrimoniali (12).

(11) P. V. In altera editione, pag. 67 in fine, n. 64.
(12) P. V. In altera editione in fine pag. 52.

§ V. Inversa interpretatio verborum S. Thomae in QQ. DD. Q. XV, *De malo* A. 1

66. Eadem doctrina, sin expresse, aequivalenter saltem et implicite docetur a S. Thoma in hoc loco QQ. DD., in corp. *Et quod omnis talis actus,* nempe ad essentiam contractus requiritur ut contrahentes possint velle et velint *causam specificam* contractus, usum scilicet membrorum genitalium *cum proportione* ad debitum finem generationis, ita ut si haec proportio excludatur, hic usus fiat inordinatus, ideo nec possit esse *causa* contractus.

Ibidem subinde in art. 2, ad 14, explicat S. D. " quod lex communis datur non secundum particularia accidentia, sed secundum communem considerationem: et ideo dicitur actus ille esse contra naturam in genere luxuriae, ex quo non potest sequi generatio *secundum communem speciem actus;* non autem ille ex quo non potest sequi propter aliquod particulare accidens, sicut est senectus vel infirmitas ".

Porro in adversa sententia illud *accidens* in his verbis Angelici, intelligitur esse non quidem *sterilitas* senis, sed *ipsa senectus,* ita ut sensus non sit seni accidit ut generare nequeat; sed ille alius: accidit actui ut fiat a sene et ideo sit infructuosus. Cui interpretationi videretur assentire ipse S. Thomas, quippe qui nullo modo in responsione sua corrigit verba obiectionis nempe: " manifestum est quod ex concubitu mulieris quae est... vetula, generatio prolis sequi non potest ". Atque eodem modo *accidit* ut fiat a muliere quae utero caret (13).

67. Atvero haec animadversio nequaquam finit quaestionem, quia ulterior adhibenda est distinctio: illud *accidens* est ipsa *senectus* ita ut sensus sit: accidit actui ut fiat a sene et ideo sit infructuosus *distinguo assertum:* et ideo sit infructuosus, iuxta probabilem tantum praesumptionem quae non excludit possibilitatem physicam fecundationis: *concedo assertum:* – et ideo sit infructuosus propter exclusionem futurae fecundatio-

(13) P. V. In prima editione pag. 67 n. 3; in altera, pag. 65, n. 3.

nis demonstratae impossibilis: *nego assertum.* Haec distinctio iam explicata est nn. 27 sq. Ea autem retenta sensus propositionis S. Thomae reincidit in illum quem adversa sententia diffitetur.

68. Praeterea ipse contextus demonstrat S. THOMAM ipsissimum hunc sensum quem dixi, intendisse: nam ex prima parte responsionis fit manifestum quod ipse retinet concubitum cum vetula vel sterili spectatum secundum communem considerationem, i. e. iuxta communiter contingentia et generaliter, NON ESSE IN CONIUGATIS CONTRA COMMUNEM SPECIEM ACTUS, ideoque asservare per se illam relationem quam idem S. D. docet esse essentialem copulae *coniugali,* scilicet ad prolis generationem, uti late explicatum est ex ipsius doctrina expressa. Unde neganda est paritas et consequentia in difficultate quam ipse sibi proposuerat (14), neque ulterior distinctio adhibenda vel correctio antecedentis obiectionis.

Quod ergo generatio ex eo concubitu de facto non sequatur, ipse in altera parte responsionis dicit id esse accidens, ipsamque senectutem ex hoc capite esse accidens, quia tantummodo UT PLURIMUM, ex praesumptione probabili, NON VERO EX CERTA DEMONSTRATA IMPOSSIBILITATE GENERANDI, excludit SOLUM FACTUM generationis.

E contra accidens recisionis in femina de qua disputamus, eam impossibilitatem demonstrat. Ideo omnino neganda paritas etiam cum muliere quae utero caret.

Textus igitur S. THOMAE ex illa Q. XV *De malo,* intellectus ex analogia doctrinae quam profitetur Angelicus, tantum abest ut sententiae adversae suffragetur, ut meam potius doctrinam confirmet.

69. Quocirca cavendum etiam a perpera deductione ex

(14) Ecce textus difficultatis quam ibi sibi proponit S. TH.: « 14. Manifestum est quod ex concubita mulieris quae est sterilis vel vetula, generatio prolis sequi non potest, sed tamen hoc quandoque fieri potest sine peccato mortali in statu matrimonii. Ergo etiam alii actus luxuriae ex quibus non sequitur generatio et debita educatio prolis, possunt esse absque peccato mortali „.

animadversione optima quam affert D. Aloisius Desmet in tertia editione laudati sui operis *de sponsal. et matrim.*, n. 554 in nota, scilicet non referre accidentalem defectus notitiam, cum lex naturalis ad ea quae sunt per se et communiter contingentia sit aptata. (15). Id profecto verum est atque n. 66, audivimus ex ore ipsius Aquinatis, nec quisquam diffitetur si ageretur de inhabilitate *ad coeundum*, deque impedimento impotentiae proprie dictae, cuius quippe obiectum versatur circa defectum obvium vel observatu facilem; fallit vero regula illa si referatur ad obiectum quo matrimonium invalidari non potest nisi *ex capite vitiati consensus*, eo quod specialis indoles naturae humanae post lapsum vulneratae, exigit ut defectus *latens* non invalidet, propatulus invalidet consensum, sicuti late explicavi de impotentia occulta generandi.

Iamvero accidentales omnino admittuntur in iure causae quae consensum matrimonialem invalident, in canonibus 1083, 1086 § 2, 1087 § 1.

§ VI. De propria inhonestate copulae soluti cum recisa.

70. Hic opportune quaeri potest quali intranea ratione dici debeat *contra naturam*, copula soluti cum femina recisa, et ipsa libera: dum egomet superius n. 50 asserui, eamdem inter legitimos coniunctos, non demonstrari contra naturam, sed potius actibus incompletis inter eosdem esse aequiparandam.

Quae ut explicentur, advertendum est huiusmodi copulam cum recisa agnita tali, si in se ipsa concipiatur, atque in suo esse physico satietatis venereae non extra sed intra vas debitum plene obtentae, inordinatam non esse, sed tantum inordinatam evadere *ex defectu relationis* eius ad possibilem generationem propter sublata ulteriora huiusce organa in femina. Huiusmodi autem defectus totus respicit illam prolis *intentionem* quam in ratione finis *operis* tantum, audivimus a S. Thoma

(15) P. V. In altera editione, pag. 65 in nota 2.

esse matrimonio ineundo, non vero inito, essentialissimam. Ergo copula illa tunc tantummodo atque eatenus erit contra naturam, quando et quatenus in ratione finis *operis* intendi voluntate debebit in ipsa, proles saltem uti praesumptive possibilis.

Atqui haec voluntatis intentio in iis qui iam legitime sunt coniuncti, non requiritur, uti constat ex theologia morali. Requiritur vero in ipso consensu qui facit contractum matrimonialem. Ergo copula cum recisa inter legitimos coniuges, contra naturam non est; sed solus contractus initus a soluto cum recisa tali agnita, non est naturale coniugium.

Copula autem soluti cum hac recisa et ipsa soluta, quatenus fit intra vas, sicuti superius innui, iuxta naturam est; quatenus vero illa relatione naturali privatur, est contra naruram, *neque ullo alio fine honesto legitimari potest*, sicuti inter coniuges.

71. Porro ut hanc diminutam quidem, sed verissimam et propriissimam inordinationem et innaturalitatem copulae soluti cum praedicta recisa, definiam, libenter mutuor egregiam animadversionem R. P. Vermeersch consodalis et amici mei: nimirum si haec inordinatio comparetur cum aliis peccatis luxuriae contra naturam exercitae, in quibus propria quaedam inordinatio se prodit etiam praecisione facta a pollutionis malitia. Praeter enim bestialitatem qua appetitur species diversa ab humana, praeter sodomiam quae fertur in sexum indebitum speciei humanae, " aliae perversiones contra naturam observatae sunt: eorum v. gr. qui cum femina mortua vel occisa (intra eius viscera) concumbunt. Variae istae perversi appetitus enormitates nomine proprio carent, ita ut indicata facti substantia accusandae sint (in sacramentali confessione)... Assentiri non possumus Alberti qui in copula cum cadavere, simplicem pollutionem agnoscit. Quamvis enim cadaver stricte nec homo nec bestia sit, peccans tamen eo non utitur sicut instrumento, sed afficitur ad ipsum tamquam ad

hominem *mortuum*. Ceterum ipsa copula cum statua (16) si verus affectus sit ad statuam, non fuerit simplex pollutio „. Ita egregie P. V. (17).

72. Atvero si agnoscitur inordinatio specie distincta a simplici pollutione, in appetitu vasis feminae, quae utpote mortua, destituta prorsus est ulteriori generandi potentia, non video cur eadem fere conclusio non valeat de appetitu vel copula soluti cum soluta sed recisa, et consequenter de appetitu matrimonii ineundi cum huiusmodi femina quae noscitur destituta, sicut mortua, organis post-vaginalibus, ideoque perempta relatione ad generationem prolis saltem praesumptam possibilem, quae obiecto proprio contractus coniugalis est essentialis.

§ VII. De matrimonio vetulorum in doctrina B. Alberti Magni.

73. Satis constat (18) S. Thomam commentarium in Librum Sententiarum magno plausu habuisse in Universitate Parisiensi, circa annum 1252, postquam ibidem ab anno 1245 ad 1248 operam dederat theologicis studiis, magistro B. Alberto Magno. Iuvabit idcirco sensum ab Angelico Doctore intentum in praecipuo illo textu de vetulis, confirmare ex eadem doctrina quae occurrit eodem in loco, in commentario B. Alberti.

Hic itaque in IV Sent. Dist. XXXIV, B. Art. 4, quaerit utrum frigiditas sit impedimentum matrimonii. Huius porro articuli evolutio ad amussim correspondet respectivo articulo S. Thomae. Corpus articuli penes Albertum brevius exhibet

(16) Finge automatum ita artificiose elaboratum ut partes exerceat vaginae femineae.

(17) P. V. In prima editione pag. 353; in altera pag. 337. Adverte sensum quo hae perversitates a P. V. heic dicuntur esse contra naturam; nimirum non solum si praecisive spectentur in suo esse physico, sed adaequate in ordine ad totam legem.

(18) Cfr. Bern. M. De Rubeis, *Dissertation. in comment. S. Thomae in Libr. Sentent.* Dissert. I, cap I, n. 11.

rationem quam distinctius evolvit S. Thomas in corpore sui articuli. Difficultatum vero 1ª 2ª 3ª 4ª 5ª 6ª cum 7ª Alberti perfecte respondent 1ae 3ae 4ae 6ae 2ae et 5ae apud Angelicum. Quoad vetulos speciatim, Albertus sic in 2ª difficultate: " Item constat quod omnes vetuli sunt frigidi naturaliter: et tamen vetulus cum vetula contrahere potest: ergo frigiditas non impedit ". Dum S. Thomas ita " Omnes vetuli sunt frigidi. Sed vetuli possunt matrimonium contrahere. Ergo frigiditas non impedit matrimonium ".

74. Solum discrimen est in adverbio *naturaliter* quo afficitur copula verbalis cum praedicato *frigidi*, in Maiore Alberti; atvero ex ipsa responsione tam Alberti quam Thomae, manifestum est hanc naturalem frigiditatem non esse absolutam et completam exclusionem omnis potentiae generandi in *omni* sene, sed illam quae *quandoque* verificatur in *aliquibus* senibus: significatur nempe illa naturaliter praesumpta diminutio potentiae fecundandi, quam descriptam habemus etiam a patronis nonnullis adversae sententiae, quaeque absolute non excludit potentiam generandi, quia seni *per se* potenti ad generandum, *accidit* tantum. Ceterum tam S. Thomas quam B. Albertus eam *supponunt* saltem non certe ablatam, atque in responsione solum insistunt in potentia *coeundi* cui refertur frigiditas.

Reapse sic respondet Albertus: " Vetuli habent caliditatem sufficientem movere, licet non generare: et ideo conceditur eis matrimonium pro medicina quoad fidem thori: et ideo non est simile ". Idque ulterius explicat in fine articuli, *Ulterius numerantur*., de modo quo sine peccato se adiuvare possunt ii qui " habent caliditatem debilem ", ad movenda membra ad concupiscentiam, quod scilicet " per applicationem manus via fieri poterit "; qua de re S. Thomas hic silet.

Hic itaque paulo enucleatius respondet, uti supra audivimus: " Vetuli, quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam; et ideo conceditur eis matri-

monium secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae „.

75. Quod autem, quemadmodum demonstravi de S. THOMA nn. 60 sq., ita et ALBERTUS *supponat* eo ipso quod *matrimonium* senibus concedit, eos nondum evidenter esse potentia generandi destitutos, id satis apparet ex iis quae ipse docet de consensu in copulam carnalem, qui includitur in consensu in societatem maritalem, matrimonium faciente. In IV enim, Dist. XXVIII, C. art. 6, postquam retulit verba Magistri: " His verbis... exprimitur consensus non copulae carnalis vel cohabitationis corporalis, sed CONIUGALIS societatis: ex qua oportet eos cohabitare, nisi forte causa religionis pari voto corporaliter separentur vel ad tempus vel usque in finem „; sic respondet: " Dicendum quod Magister dicit verum. Tamen quidam dicunt, quod consensus in communi fit ad carnalem copulam, et cohabitationem, non quamcumque, sed MARITALEM: et bene puto quod illi expressius dicunt. Sed pro Magistro est, quod copula carnalis, nisi impediat votum utriusque, includitur in maritali societate, et ita duae solutiones revertuntur in idem; sed prior est expressior „.

Porro dum sibi obiecerat consensum matrimonii rati ordinari ad consummandum matrimonium, quod fit per copulam carnalem, respondet: " Ad primum ergo dicendum quod coitus non est consummans matrimonium in esse primo, sed in esse secundo quod consistit in habenda thori coniunctione „. Concedit igitur copulam carnalem ingredi obiectum coniugii saltem *in iure ad eam*, quod est eius actus primus, sicut explicat Dist. XXVII, F. art. 7.

76. Idipsum docuit iterum in Dist. XXXI, art. 4, ubi postquam quaesivit " an ista tria bona (scil. prolis, fidei et sacramenti) conveniant matrimonio in quantum est in remedium „ respondet: " Dicendum quod illa tria bona efficiantur a matrimonio in quantum est in officium (in art. 3 id explicaverat), sed adiunguntur ei secundum quod est in remedium: QUIA ALITER NULLATENUS COITUM EXCUSARENT: unde de plano concedendae sunt primae rationes „. His autem probaverat bonum

prolis matrimonio convenire in quantum est officium; deinde in quantum est in remedium utitur his bonis " ad excusationem concupiscentiae carnalis, quae alias esset mortale peccatum, nisi honestate horum bonorum excusaretur „. Profecto itaque ambigendum non est ALBERTUM retinuisse consensum qui matrimonium facit ferri debere implicite in copulam IN QUANTUM ETIAM EST IN OFFICIUM NATURAE. Sed ea est in officium naturae in quantum est in multiplicationem prolis. Ergo.

77. Quod subinde in art. XVII eiusdem Distinctionis iterum innuit, ubi quaerens " an inter illos est matrimonium qui causa libidinis exercendae copulantur „ (qui videtur esse praecise casus uxoris recisae): respondet: " Dicendum quod inter tales est matrimonium, sicut in littera dicitur: et de hoc satis est superius inquisitum. Ad hoc ergo quod obiicitur, dicendum quod quaeritur bonum medicinae in tali matrimonio, et hoc non est parvum bonum: ET SUPPONUNTUR ALIA IN POTENTIA ET IN HABITU, LICET NON IN ACTU „.

Similia porro sed magis enucleate et perspicue dicta audivimus a S. THOMA qui nihil aliud perfecit quam expolire in ea materia, doctrinam sui magistri.

§ VIII. Explicatur doctrina difficilis S. Thomae de impedimento virilis impotentiae.

78. Ex eadem materia, prout evolvitur in loco parallelo B. ALBERTI M., solutionem accipimus difficultatis quae multos anxios et incertos fecit tam ante Sixtinum *Motum proprium* de eunuchis, quam post ipsum, de vera ratione qua S. THOMAS non solum impedimentum impotentiae intellexerit sed ipsum matrimonialis contractus obiectum proprium et causam quae finem *operis* constituit in eo ineundo. (19).

(19) Cfr. SANCHEZ *De matr.* L. VII, Disp. 97, n. 1; PONTIUS, *De matr.* Lib. VII cap. 56; Card. DE LUGO, *Resp. mor.* L. I. Dub. 31, n. 7, 8; SCHMALZGRUEBER L. IV, Tit. 15, n. 62-64; WERNZ, vol. IV. n. 345, nota 32. Hic ultimus sensum contrarium attribuit etiam VASQUEZ, GOTTI et aliis, qui certe Sixto V fuerunt posteriores.

Sane tam S. THOMAS in IV, Dist. 34, Q. 1, a. 2, ad 4, et Dist. 36, Q. 1, a. 1 in corp., quam ALBERTUS M. in IV Dist. 34, B. a. 4, ad 3, sibi proponunt difficultatem quod si sciat mulier virum esse frigidum, quando cum eo contrahit, verum est matrimonium. Porro S. THOMAS respondet: " frigiditas quae causat talem impotentiam ut homo non possit de facto solvere debitum, et conditio servitutis per quam homo non potest de facto libere reddere, impediunt matrimonium quando alter coniugum ignorat hoc quod alius non potest reddere debitum ".

Sed si hoc revera dicitur a S. THOMA et cum veritate, tum eo ipso admittit verum matrimonium posse consistere cum consensu in solam individuam societatem animorumque unionem tantum, excluso iure in copulam, quae erat thesis nonnullorum ante Sixtinam Constitutionem de eunuchis, et aliquorum post eam, uti PONTII, quos innuunt Card. DE LUGO et SCHMALZGRUEBER l. c. atque in hanc opinionem reduci omnino videtur sententia adversa, si ex anfractibus extrahatur quibus solet exhiberi implicata.

79. Huic difficultati varii varie respondere conati sunt, quos refert PONTIUS l. c. neque ex ulla inter has responsiones se posse acquiescere fatetur: idque forte merito. P. WERNZ, aetate nostra, contentus est, dum thesim oppositam certissimam atque evidentem esse contendit, illas S. THOMAE " locutiones difficiliores " appellare, quin curet eas enodare. Qua in re ipse FRANCISCUM SCHMALZGRUEBER imitatur qui sententiam illam simpliciter attribuit Sancto THOMAE neque ullam distinctionem verbis eius adhibet nec critice eius mentem investigat.

80. Age nunc, B. ALBERTUS M. ut solvat propositam sibi difficultatem, simpliciter remittit ad solutionem immediate praecedentem quam dederat de impotentia quae solet afficere vetulos. Unde satis indicat difficultate confundi impotentiam *coeundi* proprie dictam quam certo constiterit esse antecedentem et perpetuam, cum impotentia *difficilius coeundi* cum aliqua minima saltem spe generandi nondum certo exclusa, quae comprobari solet in vetulis.

81. Revera aliis verbis eamdem distinctionem et explicationem exhibet Angelicus, quippe qui in sua responsione distinguit impotentiam reddendi debitum, qua aliquis " non potest solvere de iure „ et impotentiam qua non de iure sed de facto tantum non est solvendo. Illam autem impotentiam dicit invalidare matrimonium sive sciatur, sive nesciatur; et reapse in art. 1 eiusdem Q. eam in *solutione* enumeraverat inter impedimenta dirimentia, in versiculis quos mutuatus est a B. ALBERTO, in loco parallelo eosdem eamdemque exhibente doctrinam.

Hanc vero impotentiam qua quis de facto tantum existit non solvendo, ulterius dicit invalidare matrimonium sicut *conditio servilis*, quia ignorata, libertati consensus officit; secus vero si cognoscatur adesse, quia tunc apparet matrimonium alio fine *operantis* fuisse initum, *praeter* prolis intentionem; " ostenditur quod alium finem ex contractu quaerit „, nimirum ex contractu qui tamen fuit verus contractus coniugalis, cum illa intentione prolis quam in Dist. XXXI, Q. 1, a. 3 explicaverat esse finem *operis* huic pactioni essentialissimum, quamque in matrimonio senum et ipse et ALBERTUS M. supponunt adesse saltem in minimo gradu probabilitatis praesumptae, uti late explicatum est.

82. Quod autem ignorata ab altero contrahente annullet consensum conditio huiusmodi impotentiae, de facto servanda nec potius habeatur in foro externo uti non apposita, hoc in praesenti loco minus accurate nimisque generali formula asserit Angelicus, verba et distinctionem PETRI LOMBARDI Magistri, sensu accommodo enucleare volens, uti ipsemet innuit in fine huius responsionis. Verum omnes hac in re ab eo recesserunt cum ipso iure Decretalium (20).

83. Sed quidquid sit de hac minus accurata locutione, nihil exinde deduci potest contra meam thesim et explicationem, cum obiectio adversa oriatur tota ex confusione finis *operantis* et finis *operis*, qui uterque perspicue distinguitur ab Angelico in locis superius citatis.

(20) Ex his apparet etiam quomodo PONTIUS in L. VII, cap. 56, n. 1, non possit appellare Magistrum, in subsidium suae opinionis.

84. Ceteroquin vera etiam est assertio Angelici de nullitate illius coniugii si alter contrahens, altero inscio, conditionem substantiae coniugii contrariam apposuerit quae praevalendo, eius consensum perverterit: quod tamen ipsi onus incumbet in iudicio demonstrandi.

CAPUT QUARTUM

Necessitas intentionis prolis contractui matrimoniali propria, traditione patrum constanter proposita

§ 1. Eadem doctrina penes S. Augustinum.

85. Quod intentio prolis includatur in fine *operis* et in causa omnino propria contractus matrimonialis, S. Thomas didicit ex S. Augustino (1), a quo haec doctrina fere in singulis capitibus inculcatur libri *De bono coniugali*, (2) saepeque alibi. Notum est Augustinum illud opus edidisse circa annum 401, ut simul ac alios duos libros *De sancta virginitate* et *De bono viduitatis*, opponeret errori Ioviniani monachi, cuius reliquiae remanserant post condemnationem Siricii, Romae, circa annum 390, et subinde concilii Mediolanensis sub Ambrosio. Iovinianus enim in eo erraverat quod ad extollendam virginitatem, nuptias reprobaverat, inde manichaeis patrocinando. Augustinus itaque in hoc libro nuptias honestas et honorabiles multis argumentis demonstrare satagit, refutatis sophismatibus adversis. Opus idcirco habemus ex professo polemice-dogmaticum. Iuvabit singula colligere testimonia unde doctrinae constantia appareat.

86. Cap. I. Ex ipsa mulieris origine prima demonstratur a Deo constituta associatio viri et uxoris: " connexio societatis (utriusque) in filiis qui unus honestus fructus est, non co-

(1) Praeter quam quod enim S. Thomas assiduus valde erat in versandis SS. Patrum operibus, in Decreto Gratiani atque in Decretalibus a Gregorio IX recenter approbatis, sub oculis habebat sibi propositos, praecipuos locos ex illis libris S. Augustini decerptos.

(2) Migne, 40, 374.

niunctionis maris et feminae, sed concubitus. Poterat enim esse in utroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius regentis, alterius obsequentis, amicalis quaedam et germana coniunctio „.

A primo initio igitur AUGUSTINUS perspicue distinguit in societate maritali, finem *operis*, fraternae coniunctionis fraternique adiutorii, et finem pariter *operis*, procreationis filiorum, quippe qui est naturalis et honestus fructus commixtionis utriusque sexus. Finis porro uterque apprime *distinctus* exhibetur, nequaquam vero *separandus*, cum uterque enascatur ex naturali indole invicem comparata viri et uxoris.

87. Cap. II. Supponendo concubitum dari non posse nisi corporum mortalium, A. quaerit quomodo, si homo non peccasset ac perseverasset in statu immortalitatis, procreatio filiorum locum habuisset ad initialem fecundationis benedictionem implendam: *crescite et multiplicamini et implete terram*. Probabilem porro sibi explicationem exhibet, naturalem mortalitatem ad commixtionis possibilitatem sufficere neque per se obstare dono immortalitatis quo homo anima a corpore non separata, in statum mutaretur beatum " ab animali ad spiritualem qualitatem „.

Iterum idcirco commixtio sexuum *suapte natura* prolificationem inducit, ad eamque ordinatur pro AUGUSTINO, eadem necessitate qua composito humano naturalis est mortis dissolubilitas.

88. Cap. III. In praesenti statu naturae lapsae, bonitas et honestas coniugii manifesta fit ex eo quod divina Scriptura atque expresse Christus Dominus in evangelio, commendat et verbis et facto nuptiarum quibus adstitit in Cana, eius indissolubilitatem quoadusque vixerint coniuges.

Hic autem A. quaerit " cur sit bonum quod mihi non videtur, ait, propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam ETIAM naturalem in diverso sexu societatem. Alioquin non iam diceretur coniugium in senibus, praesertim si vel amisissent filios, vel minime genuissent. Nunc vero in bono, licet annoso coniugio, etsi enarcuit ardor aetatis inter masculum et feminam, viget tamen ordo caritatis inter maritum et

uxorem: quia quanto meliores sunt, tanto maturius a commixtione carnis suae pari consensu se continere coeperunt: non ut necessitatis esset postea non posse quod vellent, sed ut laudis esset primum noluisse quod possent. Si ergo servatur fides honoris et obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus et prope cadaverinis utriusque membris, animorum tamen rite coniugatorum tanto sincerior, quanto probatior, et tanto securior quanto placidior castitas perseverat. Habent etiam id bonum coniugia, quod carnalis vel iuvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandae prolis redigitur honestatem ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio coniugalis. Deinde quia reprimitur et quodammodo verecundius aestuat concupiscentia carnis quam temperat parentalis affectus. Intercedit enim quaedam gravitas fervidae voluptatis cum in eo quod sibi vir et mulier adhaerescunt, pater et mater esse meditantur „.

89. His verbis egregie quidem commendantur secundaria bona coniugii, non tamen ita ut eorum intentio excludat prolis intentionem cui (uti iam dictum fuerat in cap. I) suapte natura dirigitur: 1° quia secundaria illa bona ab initio expresse dicuntur annexa bono primario: " non propter SOLAM filiorum procreationem, sed propter ipsam ETIAM... etc. „ non vero in contractu, uti finis *operis* ei exclusive substituta. 2° Quia A. ea exemplificat in eo qui in matrimonio insenuit, ac SUPPONITUR vel filios procreasse: supponit nempe posse eius unionem, etiam postquam ipse infecundus sive exstitit sive senio evasit, vocari et esse verum matrimonium, sicut fuit verum matrimonium quod iuvenis et fecundus contraxit. Neutiquam vero dicit hoc coniugium iniri potuisse ex solo et exclusivo fine *operis* secundario. Igitur contra thesim meam nihil prorsus deduci potest ex isto AUGUSTINI capite. Sique ab initio loquitur de intentione qua a sene initur coniugium, eam intelligit quae a sene ut finis *operantis* sibi praefigitur.

90. Cap. IV. Explicat A. malitiam adulterii, quo fides coniugi data violatur, alterique conceditur potestas in corpus, quae, ut ait Apostolus, est alterius coniugis. At potestas ad

quid nisi ad copulam suapte natura suo fructui, id est proli multiplicandae ordinatam, uti cap. 1 iam significaverat?

91. Cap. V. Pactum spectat quo masculus et femina, ambo liberi, non filiorum procreandorum causa, sed propter incontinentiam solius concubitus conveniant de non cubando cum altera persona, etiam usque ad mortem: porro concedit pactum huiusmodi posse vocari nuptias, dummodo 1° sit perpetuum; 2° nec concubantes quidquam velint aut opere faciant quo proles impediatur: sed cur haec altera conditio, nisi quia eo ipso quod conveniunt de concubitu, licet ad finem *operantis* concupiscentiae explendae, hic tamen finem *operis* habet prolis generandae, ut possit esse *causa* coniugalis pactionis? Unde pro Augustino, sicut pro omnibus, verae nuptiae in huiusmodi pacto non habentur, si voluntas contrahentis vel intentione vel opera excluserit prolem.

Si deinde vir aliam duxerit uxorem, et femina quam reliquit, ei nihilominus fidem primi pacti servet, non poterit quidem facile vocari *adultera*, sed si cum alio viro misceatur, maius peccatum admittet quam matronae quae dum verae uxores sunt, coniugio intemperanter fruuntur: " ad hoc nuptiae sunt ut illa concupiscentia redacta ad legitimum vinculum, non difformis et dissoluta fluitaret, habens de se ipsa... progressum immoderate coeundi, *in nuptiis modum caste procreandi...* etc. „.

Ergo evidentissime pro Augustino concubitus coniugalis in eo differt a concubito fornicario quod suapte natura debeat esse cum *obiectiva* intentione prolis generandae, tantum quantum nempe explicatum est nos docere S. Thomam.

92. Cap. VI. A. docet excessus qui in usu intemperante coniugii committuntur, ideo a culpa lethali excusari quia " propter nuptias ignoscuntur „, etiamsi *praeter causam procreandi* coniuges sibi commisceant. Igitur suapte natura, uti *coniuges* commiscentur liberorum procreandorum causa, obiectiva scilicet et ex fine *operis:* sique ita simpliciter commiscentur, " coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiae vero satiandae (*praeter* procreandi

causam et ex fine *operantis*) sed tamen cum coniuge, propter thori fidem, venialem habent culpam: adulterium vero sive fornicatio, lethalem habet culpam „. *Supponitur* ergo semper fiuem *operis* et *causam* nuptialis contractus esse intentionem prolis.

Ceteroquin et illa doctrina triplicis illius gradationis in culpa mortali, veniali et nulla, ex AUGUSTINO adoptata est a S. FULGENTIO RUSP., a S. GREGORIO M., a MAGISTRO Sententiarum et a S. THOMA, uti videre est in Suppl. Q. 49, A. 5 ad 1, 2. Debet autem intelligi de intentione *solius* delectationis, quovis alio honesto fine vel implicito solummodo, prorsus excluso. Atque ita haec doctrina a posterioribus DD. communius ac verius fuit temperata. (3).

93. Cap. VII. Extollens legem indissolubilitatis a Deo nuptiis impositam, A. iterum apertis verbis earum finem *operis* et causam in prole procreanda reponit: “ Quae si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum, ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Possit enim homo dimittere sterilem uxorem et ducere de qua filios habeat: et tamen non licet... etc. „.

Porro adeo naturaliter inesse nuptiis hunc finem procreandi A. existimat ut supponere videatur quod sterilitatis causa vinculum deberet posse solvi, “ nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus atque id dissolvere cupientibus, inconcussum illis maneret ad poenam... Nec ta-

(3) Cfr. S. FULGENTIUS RUSP. *Epist, prima*, n. 8, 9. (Migne, 65, 305, 306). – S. GREGORIUS M. *Epistol.* L. XI, Indict. 4, Epist. 64 ad decimam Augustini Angl. Episc. interrogationem (M. 77, 1193 sq.) – PETR. LOMBARDUS, in IV Dist. 31 in fine. – BALLERINI, *Op. mor.*[3] VI, 358 sq. – NOLDIN, *De sexto praec.*[12] n. 93 sq. – GENICOT, *Th, mor.* [7] II, 545. – FERRERES *Th. mor.*[9] II, 1145; – BERARDI AEMIL. *Praxis* [3] I, 951–954; – PIGHI, *Cursus* [3] IV, 605, 2; D'ANNIBALE, Summola [5] III, 469 (11); etc. – Fere conveniunt MARC, *Th. mor.* [14] II, 2111; AERTNIS *Th. mor.* n. 38, dum S. ALPHONSI mentem explicant. Hisce accedere videtur LEHMKUHL, *Th. mor.* [11] II, 1604 sq. 1073.

men nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto eius (Ps. 47. 2) talis est causa cum uxore „.

94. Cap. VIII et IX. Totus est A. in demostranda bonitate nuptiarum, non tantummodo in quantum excludunt fornicationem, sed etiam prouti sunt propter bonum aliquod necessarium: " bonum est nubere, quia bonum est filios procreare, matrem familias esse. (1 Tim. 5, 14). „.

Imo non dicit ideo bonam, amicabilem viri et mulieris societatem *etiam quia* conducit ad propagationem generis humani: sed inverso modo: in ea propagatione, " societas amicalis magnum donum est „. Innuens ita veluti totam rationem huius amicalis societatis viri et mulieris esse ut inde *possit* propagari genus. Explicat subinde ab initio hunc finem intendi reapse a nupturientibus fuisse *necessarium:* nunc vero " cum ad ineundam sanctam et sinceram societatem undique ex omnibus gentibus copia spiritualis cognationis exuperet „, non cessnubium in illum finem suapte natura dirigi, sed " etiam propter solos filios connubia copulare cupientes, ut *ampliori* continentiae bono potius utantur, admonendi sunt „.

95. Advertatur etiam vix intelligi quomodo ista *coniugalis continentia* dici possit bonum *amplius* si nuptiae per se non essent directae ad concubitum qui suapte natura dirigitur ad prolem gignendam. Secus enim continentia inter coniuges connubii bonitatem aequaret non vero superaret; insuper in connubio non alia bonitas inveniretur quam quod fornicationem excludat, contra ea quae in capite VI profitetur idem A. et in sequenti luculentius ostendit.

96. Cap. X. Adeo finis *operis* coniugii, prolis intentionem includit ut " concubitus necessarius causa generandi, inculpabilis et solus ipse nuptialis sit. Ille autem qui ultra illam necessitatem progreditur, iam non rationi sed libidini obsequitur „.

Imo " si ambo tali concupiscentiae subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum. Verumtamen si magis in sua coniunctione diligunt quod honestum est, quam quod inhonestum est, id est quod est nuptiarum, quam id quod non est

nuptiarum, hoc eis auctore Apostolo, secundum veniam conceditur... etc „. (4).

Scilicet in quantum coniuges in usu coniugii, sive in intentione *operantis* sive in opera (scilicet in usu qui sit contra naturam) recedunt ab intentione nempe prolis, in tantum vel venialiter vel etiam lethaliter peccant. Sed cur hoc nisi quia intentio haec prolis, finis est *operis* necessarius coniugii? A quo tamen positive excludendo abstinere se debent, sed ipsum non quaerendo intentione *operantis*, eatenus peccabunt quatenus plus minusve lasciviant.

97. Cap. XI. Expresse profitetur A. pacta nuptialia concludi propagandi necessitate, atque ea excedere in uxore esse veniale, in meretrice damnabile. Ideo etiam gravior est abusus contra naturam in uxore, quam in alia: quia nempe directe violatur obligatio pacto nuptiali inducta, non aliter quam ex eius fine *operis*. " Decus ergo coniugale est castitas procreandi et reddendi carnalis debiti fides: hoc est opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defendit Apostolus dicendo: si acceperis uxorem non peccasti; et si nupserit virgo non peccat; et: quod vult faciat; non peccat si nubat „.

98. Cap. XIII. Finem *operantis* refrenandi concupiscentiam fere omnes hodie habere in coniugio ostendit A. tali oppositione cum sanctis patriarchis A. T. ut manifestum fiat coniugium ab eo supponi ex fine *operis* dirigi in officium propagandi. Discrimen idcirco inter illos antiquos et modernos homines non consistere in alia connubi natura, sed in dispositione atque intentione *operantis*, qua diversimode eo usi sunt.

(4) Saepissime alibi proponit Augustinus eamdem doctrinam v. gr. *De genesi ad litt.* L. IX, C. 7, n. 12 (M. 34, 397); *De nupt. et concup.* L. I, C. 7, n. 8; C. 14, n. 16; C. 16, 17, n. 18, 19 (M. 44, 418, 423, sq.). Semper tamen aperte supponit intentionem prolis esse finem propter quem fiunt nuptiae: " Solum est enim quod etiam sterile coniugium tenet iure pietatis, iam spe fecunditatis omissa *propter quam fuerat copulatum* „. – Generandi intentione concubitus *qui proprie nuptiis imputandus est*... neque enim etiam iste concubitus quo servitur concupiscentiae, sic agitur ut impediatur *fetus quem postulant nuptiae* „. Infra dabo et alia.

99. Cap. XIV. Comparatur peccatum illius qui concubina utitur ad filios procreandos, cum peccato illius qui uxore utitur venialiter, propter concupiscentiam. Porro illud gravius esse demonstrat A. animadversione sequenti: " Quid enim sit nuptiarum, considerandum est, non quid sit, nubentium et immoderatius nuptiis utentium „. Unde: " Aliud est namque iniusta potestate iuste velle uti, et aliud est iusta potestate iniuste uti „. Nempe finis *operis* servatus in copula fornicaria non facit eam legitimam: " nec coniugatae si cum maritis lasciviant (ex fine operantis) nuptiali ordini crimen imponunt „.

100. Cap. XV. Insistens iterum in absoluta indissolubilitate coniugii inter christianos consummati, manet enim, ait, vinculum nuptiarum etiamsi proles, CUIUS CAUSA INITUM EST, manifesta sterilitate non subsequatur ut iam scientibus coniugibus non se filios habituros, separare se tamen, vel ipsa causa filiorum, atque aliis copulari non liceat. Quod si fecerint, cum eis quibus se copulaverint, adulterium committunt, ipsi autem coniuges manent. " Iterum nempe asseritur causam connubi ineundi esse prolis intentionem, idque fuisse ab initio quandoquidem eo tempore quo magis urgebat necessitas propagandi numerosiorem posteritatem, non quidem rompere vinculum licebat, sed, consentiente uxore, etiam pariente, superinducere aliam. „ Sed " Misceri feminis iure nuptiarum officiosum fuit tunc sanctis viris, non libidinosum „.

101. Cap. XVI. Urget A. bonitatem seminis et consequenter honestatem usus ipsius intentione prolis quam suapte natura inducit: inhonestatem vero illorum qui eo male utuntur: " semen enim hominis ex qualicumque homine, Dei creatura est et eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit. Sed cur bonum et qua intranea ratione? Ea profecto qua ordinatur tota sua natura ad gignendum hominem. Contractus igitur circa hunc usum non potest esse in mente AUGUSTINI, nisi in hunc fin m naturae seminis consentaneum.

102. Cap. XVII. " Ipsae quidem nuptiae in omnibus gentibus eadem sunt filiorum procreandorum causa, qui quales-

libet postea fuerint, ad hoc tamen institutae sunt nuptiae, ut ordinate honesteque nascantur „. Et paulo infra: " Nuptiae in quantum nuptiae sunt, quia procreandi causa sunt, aequaliter bonae sint „. Porro ex eadem causa gignendi, A. explicat quomodo polygamia coniugio per se non repugnet; repugnat vero polyandria: " neque (enim unum virum plures habere uxores) contra naturam nuptiarum est. Plures enim feminae ab uno viro foetari possunt; una vero a pluribus non potest (haec est principiorum vis) „. Eo textu tandem satis expresse dicit propter *solam* generationem fuisse nuptias institutas.

Cap. XX. " Prolis pignus, propter quod, ait, nuptiae charae sunt „.

103. XXIV. A. suam doctrinam in re de qua disputamus, ipsi tribuit Apostolo: " Generationis itaque causa fieri nuptias, Apostolus ita testis est: *volo*, inquit, *iuniores nubere* et quasi ei diceretur: ut quid? continuo subiicit: *filios procreare, matres familias esse* (1 Tim. 5, 14) „.

104. Ita constanti firmitate igitur A. in hoc libro *De bono coniugali* in doctrina nostra insistit, quam qui maxime. Sed et in aliis operibus eadem saepe supponit et docet. *De nupt. et concupiscent*, adversus Pelagianos, L. I, c. 4 (M. 44, 415): " Copulatio itaque maris et feminae generandi causa, bonum est naturale nuptiarum: sed isto bono male utitur, qui bestialiter utitur ut sit eius intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis „. Quibus verbis aperte distinguit finem *operis* nuptiarum, naturalem et necessarium, a fine *operantis* in quo peccari potest, sicut explicavit in cap. 14, 16, libri *De bono coniugali*. Finem *operis* porro dicit causam gignendi (5).

(5) Manichaeis obiicientibus id esse in se sumptum, peccatum, quod sine libidine esse non potest, sic respondet ex ipso Augustino (*De nupt. et conc.* c. 12) Drouen *De re sacrament.* Lib. IX, Q. II, C. 1 Instant. 1: " Dist. quod non potest esse absque libidine *dominante*, peccatum est, *concedo*; quod non potest esse absque libidine *serviente*, peccatum est; *nego*. Porro etsi in statu naturae integrae, ita non fuerit, ita fuit in statu naturae lapsae, de quo loquitur Apost. 1 Cor. 7, 6, cuius verbis abutebantur manichaei.

In eodem opere cap. IX (M. 44, 419): " Plures feminae uni viro nunquam licite coniungerentur nisi ex hoc plures filii nascerentur (uti explicaverat de antiquis patriarchis in l. *De bono coniug.* c. 15); unde si una concumbat cum pluribus quia non est hinc multiplicatio prolis, sed frequentatio libidinis, coniux non potest esse sed meretrix ".

Ibidem, cap. XIV (M. 44, 423): " Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus qui PROPRIE NUPTIIS IMPUTANDUS EST... etc. ". Et in fine: " Neque enim etiam iste concubitus (coniugum) quo servitur concupiscentiae, sic agitur ut impediatur fetus QUEM POSTULANT NUPTIAE ".

Ulterius, cap. XVI: (M. 44, 424): " Pudenda carnis concupiscentia... quia necesse est in corpore mortis huius ut sit, non ei serviatur sed ipsa potius NONNISI AD PROPAGANDAM PROLEM SERVIRE COGATUR ".

Et cap. XVII (M. 44, 425): " solum est enim quod etiam sterile coniugium tenet iure pietatis, iam spe fecunditatis amissa, PROPTER QUOD FUERAT COPULATUM " (6).

105. In libro XV *contra Faustum*, cap. 7 (M. 42, 310) apertissime loquitur A.: " Consequens praeceptum, quod est,

---

Haec autem distinctio reincidit in eam quam dedi, finis *operis* et finis *operantis* qui vel libere servit libidini dominanti vel libere dominatur libidini servienti, id est in opere maritali prout naturaliter completur, materialiter se exerit.

Alia quaestio deinde est quam AUGUSTINUS explicat *De bon. coniug.* cap. 14 (M. 40, 384) utrum frequens annon vitium coniugum abutentium bono coniugii (Cf. et *De nupt. et concupisc.* L. I, C. 24; (M. 44, 429). DROUEN, ibid. Instant. 2, 3.

Eadem similiter sin etiam melius discutiuntur a NATALI ALEXANDRO, in Dissertat. adv. Nicolaitas atque adversus Marcionem (Saec. I. Dissertat. XXIX; saec. II, Dissertat. XIV, art. 2).

(6) Notare iuvat 1) quomodo AUGUSTINUS sterilitatem iugiter ostendat se *in solo facto* constanti reponere non generatae prolis; 2) quomodo connubium postea agnitum sterile, instanter dicat illa spe fecunditatis copulatum (ex fine *operis*), quam spem deinde sterilitas sustulit fini *operantis*; quin tamen unquam permittat ideo solvi primum vinculum.

non maechaberis ita violatis, ut hoc maxime in coniugio, detestemini, quod filii procreantur; sic auditores vestros, dum cavent ne feminae quibus miscentur concipiant, etiam uxorum adulteros faciatis. Ducunt enim eas ex lege matrimonii tabulis proclamantibus, liberorum procreandorum causa; et vestra lege, metuentes ne particulam Dei sui sordibus carnis afficiant, ad explendam tantum libidinem, feminis impudica coniunctione miscentur, filios autem inviti suscipiunt, PROPTER QUOD SOLUM CONIUGIA COPULANDA SUNT. Quomodo ergo non prohibes nubere quod de te tanto ante praedixit Apostolus (1 Tim. 4, 3), quando id conaris auferre de nuptiis unde sunt nuptiae? Quo ablato, mariti erunt turpiter amatores; meretrices uxores: thalami fornices, soceri lenones „ (7).

(7) Conferri potest praeclarus S. HIERONYMI locus, in cap. ultimo Libri I adversus Jovinianum (M. 23, 281) ubi eumdem conceptum ex Xysto evolutum approbat.

Insuper eadem urget AUGUSTINUS etiam in Lib. *De moribus manichaeor.* Cap. 17 sq. (M. 32, 1388 sq.); in Libro *de peccato originali* c. 38 (M. 44, 466).

Similiter et AMBROSIUS, *in Lucae evangel.* L. I, n. 45: " pudor est feminis nuptiarum praemia non habere, QUIBUS HAEC SOLA EST CAUSA NUBENDI „. (M. 15, 1551). Et L. II, n. 2: « ... Cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum ». Haec quidem obiter dicta ab AMBROSIO, supponuntur tamen manifesta et sine controversia recepta.

Hic velim notari inaccuratam quamdam interpretationem mentis S. AUGUSTINI, in textu citato *contra Faustum manichaeum.* P. PALMIERI nimirum in tractatu dogmatico *De matrimonio* (edit. altera, 1897), Th. II, n. II, pag. 10, existimat AUGUSTINUM in eo loco " prae oculis habere directe USUM coniugii et coniugium quod ineatur cum intentione copulae carnalis, (quia) excludit scilicet finem situm in libidine explenda „. – At RESPONDEO: AUGUSTINUS quidem utique sub hoc respectu spectat ibi matrimonium; sed non hoc solum dicit; insuper vero, expressissime argumentatur ex fine OPERIS, quem dicit esse copulam SOLUMMODO AD GENERATIONEM, ut demonstret inhonestatem finis OPERANTIS a manichaeis intenti. Quid enim uisi idipsum significant illae tabulae ex lege matrimonii proclamantes causam liberorum procreandorum; et filios, propter quod solum coniugia copulanda sunt? Ceterum et in eodem opere L. XIX, Cap. 26, in fine (M. 42, 365), fatente ipso P. PALMIERI, th. I, n. 1, matrimonium definit: " Matrimonium... ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat „.

106. Porro in opere *De genesi ad litt.* L. IX, cc. 3, 5, 7 (M. 34, 395-397) A. explicat ex ipsis verbis Genesis 1, 27, 28; 2, 18, quomodo " non inveniat ad quod adiutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahatur „.

107. Consentanea tandem habet ipse *De Civ. Dei* L. 14, c. 22 (M. 41, 429), quae utpote omnino praeclare dicta, hic integra transcribuntur: " Nos autem nullo modo dubitamus secundum benedictionem Dei crescere et multiplicare et implere terram, donum esse nuptiarum quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum et feminam: qui sexus evidens utique in carne est. Huic quippe operi Dei etiam benedictio ipsa subiuncta est. Nam cum Scriptura dixisset, *masculum et feminam fecit eos*, continuo subdidit, et benedixit eos Deus dicens: *crescite et multiplicamini et implete terram et dominamini eius* (Gen. 1, 27, 28) et cetera. Quae omnia quamquam non inconvenienter possint etiam ad intellectum spiritualem referri, masculum tamen et feminam, non sicut simile aliquid etiam in homine uno intelligi potest, quia videlicet in eo aliud est quod regit, aliud quod regitur: sed sicut evidentissime apparet in diversi sexus corporibus, masculum et feminam ita creatos, ut prolem generando crescerent, et multiplicarentur et implerent terram, magnum absurditatis est reluctari. Neque enim de spiritu qui imperat et carne quae obtemperat; aut de animo rationali qui regit, et irrationali cupiditate quae regitur; aut de virtute contemplativa quae excellit, et de activa quae subditur; aut de intellectu mentis et sensu corporis; sed aperte de vinculo coniugali, quo invicem sibi uterque sexus obstringitur, Dominus interrogatus, utrum liceret quacumque ex causa dimittere uxorem, quoniam propter duritiam cordis Israelitarum Moyses dari libellum repudii permisit, respondit atque ait: *non legistis quia qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una: itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.* (Matth. 19, 4-6). Certum est igitur masculum et femi-

nam ita primitus institutos, ut nunc homines duo diversi sexus videmus et novimus: unum autem dici vel propter coniunctionem, vel propter originem feminae, quae de masculi latere creata est (8). Nam et Apostolus per hoc primum quod Deo instituente, praecessit exemplum singulos quosque admonet ut viri uxores suas diligant (Eph. 5, 25 et Coloss. 3, 19) „.

§ II. S. Augustinum secutus quidem est S. Fulgentius Rusp.; praeverterant autem Apologetae secundi saeculi (9).

108. Augustini doctrinae plene consentit et S. Fulgentius Rusp. in epistola prima, n. 6 (M. 65, 303): " Huius igitur potestatis (de qua Apostolus 1 Cor. 7, 2–4; Rom. 13, 1) inculpabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus, si iustitiae terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Iustitia vero utendi coniugii haec est, ut non explendae libidinis sed substituendae prolis obtentu sibi coniuges congruo tempore misceantur. Etc. „. Operae pretium erit, si vacat, totum caput legere.

109. Sed apertissima professio quam primi apologetae fecerunt de praxi christianorum, coniugium ineundi sola prolis intentione, ostendit quanta perspicuitate a primordiis Ecclesiae, a communitate fidelium intellecta fuerit primaevae institutionis matrimonii indoles, a Christo Domino restituta.

(8) S. Thomas in suppl. Q. 44, a. 1 in corp. ea Augustini doctrina usus est. Porro nonne rationes quas hic disiunctive proponit, coniunctim potius urgendae sunt, ut prior sit etiam motivum posterioris?

(9) Hic commemorari posset etiam testimonium S. Ambrosii, quod legi potest transcriptum in nota 7, paulo superius. Haec Ambrosii verba certo certius non effugerunt Augustinum quem constat ex multis citationibus suis, multum versasse hanc magistri sui expositionem in Lucam, probabilius circa annum 386 absolutam. Porro in ea Ambrosius, sicut ceteras praecipuas sui temporis haereses impetivit, probabilissime etiam prae oculis habuit errores Ioviniani, de coniugio christiano, quos ipse Mediolani in concilio confixit, postquam idem a Siricio, Romae, anno 390 fuerat damnatus. (Cfr. supra n. 85).

Ecce S. Iustinus qui in *Apolog.* I. n. 29 (M. gr. 6, 374) expresse loquens de ipso contractu matrimonii (*egamoumen*); " Sed vel omnino matrimonium non inimus nisi ad liberorum educationem; vel si a nuptiis refugimus, perpetuo nos continemus „.

110. Et Athenagoras in *Legatione* n. 33 (M. gr. 6, 966): " Unusquisque nostrum uxorem suam quam secundum leges a vobis positas duxit, uxorem existimat usque ad liberorum procreationem. Quemadmodum enim agricola iactis in terram seminibus, messem exspectat, nec alia superiniicit: sic nobis, cupiditatis modus, procreatio liberorum „.

111. Similiter apud latinos, M. Minutius Felix, in *Octavio*, cap. 31 (M. 3, 351): " Unius matrimonii vinculo libenter inhaeremus cupiditate procreandi, aut unam scimus, aut nullam „.

112. Hisce tandem adnecti potest Clemens Alexandrinus, quem certe licet allegare in iis in quibus cum aliis convenit. In *Paedagogi* L. II, cap. 10 (M. gr. 8. 507, 508, 511, 512): " Aliter autem coire quam ad liberorum procreationem, est facere iniuriam naturae; qua quidem oportet magistra, quas prudenter introducit temporis commoditates, diligenter observare, senectutem, inquam, et puerilem aetatem. His enim nondum concessit, illos autem non vult amplius uxores ducere. (Scilicet quando uti pueri, ne coire quidem ulterius possunt). Sed non vult homines semper dare operam matrimonio (nempe iam contracto). Matrimonium autem est filiorum procreationis appetitio, non inordinata seminis excretio, quae est et praeter leges et a ratione aliena. Etc. „. Porro superius loquens de connubi fine: " Neque ullam omnino tange mulierem praeter quam tuam ipsius uxorem, ex qua sola tibi licet carnis voluptatem percipere ad suscipiendam legitimam successionem „.

Ex his apparet quo sensu *exclusivo* idem Clemens finem primarium posuerit in sua excellenti definitione matrimonii, *Stromat.* L. II, cap. 23 (M. gr. 8, 1085-1086): " Matrimonium est prima et secundum legem, viri et mulieris coniunctio ad legitimorum filiorum procreationem „.

CAPUT QUINTUM

Quomodo eadem doctrina ex revelatione immediate deducta fuerit et scholastica disciplina transmissa.

§ 1. Quid ex revelatis immediate deducatur.

113. Si textus ex S. AUGUSTINI operibus transcripti sedulo perpendantur, et praesertim cum capite 22 libri 14 *De Civ. Dei,* capita 3, 5, 7, Libri 9 *De Gen. ad Litt.* et libri *De bono coniugali* capita 3, 5, 16, 17, 24: evidenter apparebit quomodo S. Doctor ex Scripturis hauserit doctrinam quam adeo expresse professus est: prolis generandae causam ita bonum constituere coniugii, ut NONNISI AD PROPAGANDAM PROLEM carnis concupiscentia servire cogatur; nuptias POSTULARE fetum: id est generationis causa eas fieri et propter eam SOLAM fuisse institutas, neque sine ea esse copulandas, SINE QUA NE NUPTIAE QUIDEM SUNT.

114. Primo quidem AUGUSTINUS idipsum lege naturali deberi palam profitetur, ita scribens *contra Faustum Manichaeum,* l. 22, cap. 61 (M. 42, 438): " Consulta aeterna lex illa quae ordinem naturalem conservari iubet, perturbari vetat, nonnisi propagationis causa statuit hominis concubitum fieri, et hoc nonnisi socialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis: et ideo prostitutio feminarum, non ad substituendam prolem, sed ad satiandam libidinem propositarum, divina atque aeterna lege damnatur „.

Sedulo notetur principium heic ab AUGUSTINO appellatum esse *universale* et *negativum*: quod meae thesi sufficit, etsi ipse ex eo subinde deducat conclusionem *particularem,* pro necessitate contextus.

115. Ille sensus itaque exclusivae necessitatis qua nuptialis contractus in hunc *operis* finem suapte natura a prima institutione dirigitur, *absque controversia* fuit, AUGUSTINO duce,

obvie intellectus in exegesi catholica: quemadmodum enim scripserat ipse, " magnae absurditatis est reluctari, sicut evidentissime apparet in diversi sexus corporibus, masculum et feminam ita creatos ut prolem generando crescerent etc. „: ita brevissime Corluy (*Spicileg.* I, pag. 206): " *Masculum et feminam creavit eos*... itaque distinctio sexuum in hominibus a primaeva Dei ordinatione oritur „. Et paulo enucleatius Hummelauer (*In Genesim*, pag. 112): " Unico antea plurali indicatum individuorum numerum, iam sexuum discrimine explicat (Moyses) atque ita simul viam sternit benedictioni, *Crescite* etc... Clarius etiam quam solo plurali docemur sexuum in hominibus discrimen a primaeva Dei ordinatione ortum ducere (Corluy) „.

116. Iam pridem Cornelius a lapide (*In Gen.* I, 28) haereticos exprobrans qui " volunt hic singulis hominibus a Deo praecipi generationem usumque matrimonii... dico nullum hic esse praeceptum: idem enim dixit Deus piscibus, v. 22, quibus utique legem non tulit. Tantum ergo hic Deus benedicit homini, ut patet ex ipsius eius verbis: hoc est, usum matrimonii inter homines probat, eisque virtutem et *fecunditatem* indit ut per maris et feminae coniunctionem, uti cetera animalia, *sibi simile procreent*, itaque se suamque speciem conservent ac propagent. Ita Chrysostomus, Rupertus, et Augustinus, L. 14, c. 22 *De Civ. Dei*, Pererius, Oleaster, Vatable et alii „.

117. Nimirum cum ex diversa sexuum constitutione physica vel sola perpensa, manifestum sit concubitum ad prolificationem in eadem specie tota sua habitudine destinari, S. Litterae ubi expresse testantur eam sexuum distinctionem in utroque homine a Deo fuisse creatam, eo ipso et finem eiusdem connaturalem Deo institutori attribuunt. Id autem comprobatur non solum ex Moysis narratione *Gen.* 1, 27, 28; 2, 18–24 et 9, 1, 7, ubi eadem benedictio fecunditatis efficax, Noe et filiis impertitur; sed etiam, imo maxime confirmatur apud Matth. 19, 4–9, a Christo D., quippe qui ad restituendam quoad omnes futuros homines, vinculi indissolubilitatem unius ad unam, primaevam appellavit masculi

et feminae creationem ad unam carnem *in illo eodem concubito naturali* efficiendam. Cui diviui Magistri oraculo consentanea est Pauli Ap. iterata assertio: non enim aliter quam iuxta divinam illam matrimonii naturalis cxplicationem, nuptiarum extollit approbatque bonum et 1 Cor. 7, 3, 5, 9, 27, 28, 36, 38; et 1 Tim. 4, 1, 3; 5, 14; et Hebr. 13, 4. (1).

118. Indubie igitur 1° retinendum est, ut minus dicam, tamquam FORMALITER IMPLICITE CONTENTUM in expressa huiusmodi revelatione, *finem* concubitus matrimonialis *connaturalem* esse constitutum a Deo conditore, in generatione prolis.

2° Eadem formali implicita ratione continetur in illa revelatione, *naturalis medii habitudo ad hunc finem obtinendum, quae tam feminae quam viro in eo concubitu competit*, prout eam videmus et novimus, eo ipso quod, iuxta AUGUSTINI animadversionem, " nunc homines duos diversi sexus videmus et novimus ".

§ II. Quomodo exclusiva necessitas huius finis operis extollatur in constanti transmissione praedictae doctrinae.

119. Ex evolutione istius doctrinae ita revelatae, 1° tota *traditio catholica* docuit non solum connubium in hunc finem, eo modo eaque mensura obtinendum, esse in se bonum et licitum, sed etiam reprobanda esse duo extrema et opposita haereticorum commenta: vel connubium ipsum esse malum, uti voluerunt Manichaei: sin minus bonitatem in ipsum derivari non ex fine prolis gignendae qui foret potius excludendus, sed ex fine explendae libidinis: concupiscentia quippe Pelagianis erat undequaque bona (2).

(1) Haec etiam a dogmaticis evolvuntur, ubi S. THOMAE Supplementum Q. 41, a. 3, 4, commentantur. Cfr. v. gr. GREGORIUS DE VALENTIA, Tom. IV, Disp. X, Q. I, Punct. II.

(2) Moderni naturalistae idem theoretice sentiunt, idemque practice operantur. De quibus egregie VERMEERSCH, in opere citato, n. 100.

Cfr. superius n. 105 testimonium AUGUSTINI et HIERONYMI.

Cfr. et propositio 36 damnata in Molinos (Denz.-Bannw. 1276).

Cfr. S. THOMAE 2. 2. Q. 153, a. 3.

120. 2° His connexa est doctrina catholica, quam scilicet Ecclesia universalis *semper intellexit*, sicut testatur Concilium Tridentinum (3), concupiscentiam in renatis non quidem esse peccatum vere et proprie dictum, sed ab Apostolo peccatum appellari (Rom. 6, 12 sq.) quia ex peccato est et ad peccatum inclinat; ideoque eius prava desideria quae homo invitus patitur, non solum non esse legis decalogi inobedientiam (4), imo vero viriliter repugnanti per gratiam conferre ad coronam.

121. 3° Iamvero, si haec singula perpendantur simulque ITA COMPONANTUR UT PRORSUS NIHIL DETRAHATUR VERITATIS QUAE ASSERITUR IN SINGULIS, dicendum omnino est: A. *Totam* bonitatem honestatemque coniugio derivari ex plena et adaequata habitudine quam intrinsecus habet ex primaeva institutione ante lapsum originalem, ad generationem prolis; – B. Ideo, inordinationem concupiscentiae quae post lapsum in meram poenam inducta est in coniugio exercendo, IN TANTUM POSSE ABSQUE PECCATO ADMITTI, IN QUANTUM NEC PLUS NEC MINUS, HABITUDO ILLA AD PROLIS GENERATIONEM NON DESTRUITUR, SIVE VOLUNTATE, SIVE SIMUL ET OPERA. Secus enim ad tutandam coniugii honestatem, vel cum Pelagianis concupiscentia praedicatur in se absolute bona, vel cum Manichaeis probro afficitur connubium quod absque peccato proprie dicto concupiscentiae exerceri nequeat.

122. Porro mediam istam quam nunc dixi viam, secutus est AUGUSTINUS et cum ipso S. THOMAS, quando ambo docuerunt cum Apostolo, usum coniugii *ex venia* indulgeri, si fiat ad explendam solummodo libidinem in eo, ne extra ipsum lasciviatur. (Cfr. cc. VI, X *De bono coniugali*; et S. TH. in Suppl. Q. 49, a. 5, ad 2).

123. 4° Tota imo schola catholica eamdem doctrinam quam nunc sola analysi ex revelatis evolutam proposui, debuit tamquam fundamentum substructum retinere pro *postulatis* quae in ea materia, principia moralia constituunt:

(3) Sess. V, De peccato orig. n. 5 (Denz.-Bannw. 792).
(4) Prop. 50, 41, 74, damnatae in Baio (Denz.-Bannw. 1050, 1051, 1074).

a) Sensu illo pleno et adaequato quem dixi (n. 52 sq.) PRIMARIE constituitur connubio tum ineundo tum exercendo, finis generandae prolis (5).

b) HUIC SECUNDARIE ACCEDUNT ceteri fines sedandae concupiscentiae et mutui vitae individuae adiutorii: non vero SUBSTITUI possunt, in connubio *ineundo*, tamquam fines *operis*, quin eius natura destruatur et in aliam contractus speciem transferatur: imo ille explendae concupiscentiae *tantum*, ne licite quidem: – Quis catholicus unquam propugnabit liceitatem conventionis de puto concubinatu ineundae, etiam in perpetuum? – Hic, solum de individua vitae societate maris et feminae, licite tunc solummodo quando remotum habitualiter sit, proximum incontinentiae periculum. Qua ratione antiqua canonum iurisprudentia permittebat fraternum contubernium viri impotentis, ut talis post contractum in bona fide matrimonium agniti, cum putata uxore (6).

c) Ideo, sicuti alias animadverti, conditio apposita connubio de vitanda prole vell impedienda, vel abiicienda, substantialiter inficit contractum, quia connubium toto suo esse in prolis generationem tendit, nec sine ea habitudine concipi quidem potest.

(5) Legatur AL DESMET, *De spons. et matr.* nn. 53 et 125, qui duplici thesi egregie instituit dogmaticam demonstrationem praecise de hoc fine *operis* matrimonii et copulae, *proprio* et *unico*. Quae doctrina profecto inconciliabilis est cum opinione qua autumetur copula recisae esse plene maritalis.

Et ecce mihi occurtt BAS. PONTIUS qui *De matr.* L. X, cap. XX, n. 10, ita scribit: " (Generatio) potest etiam vitari contrarie inducendo sterilitatis venena. vel foras emittendo semen, et huiusmodi conditio refert matrimonium ad finem contrarium, cum finis OPERIS, id est contractus matrimonii, etiam sine intentione operantis, sit PROLES ET VIA AD GENERATIONEM ".

(6) Ita v. gr. SUMMA SYLVESTRINA, sub voce *Matrimonium*, VIII, Decimosexto, quintum: " Si quis scienter contrahat cum aliquo frigido,... sec. Innoc. tenetur ei cohabitare ut frater et soror... Posset tamen sec. Raym. unus separationem petere, si alter viveret incontinenter, vel inhoneste, vel alium male tractaret et nollet se corrigere ». – Cfr. et SCHMALZGRUEBER, L. IV. Tit. 15, n. 81.

d) Ea enim habitudine sublata, si licitum est inire connubium, eadem ratione licita fornicatio, licita pollutio, licita luxuria incompleta, quia earum delectatio non amplius exclusive ordinatur in fecundationem. Eadem ratione SCHMALZGRUEBER L. IV, Tit. 15, n. 63, de matrimonio impotentis *ad solam animi coniunctionem :* " Ex absurdis ; nam si matrimonium consistere potest in sola coniunctione animorum sine obligatione tradendi corpus ad actum *coniugalem*, non est ratio cur non etiam possit consistere inter patrem et filiam, filium et matrem, fratrem et sororem, socerum et nurum etc. Nam praedicta animorum coniunctio et societas vitae eis non adversantur ".

124. Haec profecto urgeri possunt adversus sententiam cui hic repugno, quantunvis videatur salvare requisitam habitudinem ad generationem, in sola physica copulae possibilitate cuius capax remanet excisa mulier. Nam cum prius demonstratum fuerit mulieris huius excisionem peremisse possibilitatem resultantiae illius relationis ad generationem, eo ipso sententia adversa consequenter reincidit in illam aliam de matrimonii contractu ad solam animorum coniunctionem (7).

SCHOLIA

§ I. Asserta doctrina supponitur ut fundamentum quo nititur explicatio malitiae intrinsecae luxuriae completae (1).

125. P. VERMEERSCH accurate discutit omnes opiniones a variis DD. adhibitas ad explicandam intrinsecam malitiam luxuriae completae, eamque ipse reponit in subversione relationis quam usus venereorum habet ad speciem. Porro tantum abest ut asserta a me exinde possint abnui, ut potius facile demonstrentur tamquam fundamentum huic notioni. Re-

(7) P. V. in altera edit. n. 62, 3. Similiter in prima.

(1) P. V. in altera editione, nn. 323, 421. S. Th. Summa contra gent III, c. 122.

vera relatio illa in eo constituitur ut actus completus ordinetur ad generationem neque ad aliud generationi contrarium; idque ex iure divino ipsius institutionis naturae humanae inflictaeque poenae in vulnere concupiscentiae (S, Th. 1, 2, Q. 85 a. 3). Haec autem ordinatio comprobatur reapse et adaequate comprobatur in emissione vel minima humani seminis, atque aliorum humorum qui in femina inserviunt eius receptioni: ideo, etiamsi " natura ipsa, vel invito homine, semen istud prodigit ", nulla tamen ratio, sive valetitudinis, sive alia quaevis homini suppetere potest contra generationis possibilitatem saltem praesumptam (sicuti centies explicatum est), ut sponte sua, ipse prodigat id quod natura determinato illi fini exclusive destinavit.

126. Sane etiamsi " singulae partes huius seminis non sint generationi necessariae, propter eius abundantiam ", tamen in singulis aptitudo illa inest. Neque obest permissio data a natura et ab Ecclesia matrimonii ineundi atque exercendi personae sterili, quamdiu non fuerit evidenter demonstrata impotens ad generandum: uti superius probatum est. Neque tandem alii suppetunt fines copulae, vel seminis effusioni, ante matrimonium, substituendi impossibilitati quae fuerit demonstrata, generationis.

Quocirca rationes diversae quae a diversis afferuntur de malitia intrinseca pollutionis, fornicationis etc., potius quam erratae, videntur singulae inadaequatae dicendae, atque eo solo deficientes quia exclusive proponantur; ita ut coniunctae et coordinatae, simut conficiant intentum.

§ II. Aptitudo ad generationem pro matrimonii validitate, requisita ante Motum Proprium Sixti V de eunuchis, sicuti post ipsum.

127. Factum indubitatum est quod multi Doctores classici post Motum proprium Sixti V de eunuchis exegerunt, ut matrimonium valeret, potentiam ad copulam " perfectam, i. e. cum emissione viri seminis in vas mulieris " (Laymann, *Th. mor.* L. V, Tr. I, Part. IV cap. 11, n. 3); vel etiam " ad

copulam aptam generationi „: sic v. g. Gonzales Telles (In Decretal., L. IV, Tit. 15, n. 9) et S. Alphonsus (L. 6, n. 195), ad locum Busembaum, ubi hic dicit; " matrimonium consistit in mutua traditione corporum physice aptorum ad generationem „. Atvero huiusmodi assertio nequaquam originem habuit ex illo Sixti V Motu proprio: cum hic copulae coniugalis conceptus atque expressio fuerit tum S. Augustino familiaris, uti late demonstratum est, tum a S. Thoma in multis locis adhibitus: v. gr. in 2 2 Q. 153, a 2: ... " et usus venereorum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo et ordine *secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae* „. Et contra Gent. l. III cap. 122: " Quaeritur in semine ut emittatur ad generationis utilitatem, ad quam coitus ordinatur... sic igitur ordinata esse seminis debet emissio ut sequi possit generatio conveniens et geniti educatio „. Idemque ipse repetit cap. 123 et cap. 126. Conferatur et textus Supplementi iam citatus Q. 49, a. 3. (2). Postquam hos ambos, SS. DD. appellavi, superfluum mihi videtur alios requirere Sixto V anteriores, qui tamen nequaquam desunt: sufficiat nominasse ex Theologis a Th. Sanchez *de matr.* L. VII, Disp. 97, n. 2 citatis Palacios (a. 1582); ex canonistis, Hostiensem (a. 1271) et Navarrum (a. 1587), qui ideo certo scripserunt ante Decretalem illam Sixtinam, editam die 26 Iunii, anni 1587.

128. Ceterum etsi verum sit ante hanc Sixti V declarationem, oppositam sententiam a non paucis fuisse propugnatam, id provenit ex minus accurata interpretatione textuum S. Thomae, quem singuli ex utraque parte protestantur se sequi, necnon aliquorum iuris textuum, sicuti bene demonstrat Schmalzgrueber, n. 64 l. c. atque hodie omnes conveniunt: relate autem ad S. Thomam egomet in praesenti dissertatione demonstravi. Sixtina porro declaratio omnem sustulit probabilitatem illi opinioni, adeo ut, ubi vix data fuit, magno consensu theologi et canonistae ipsi hanc antiquorum opinionem reprobarent.

(2) Hi loci afferuntur etiam in o. c. Dris Desmet, n. 125 in nota.

129. Speciminis gratia mihi liceat SPORER verba transcribere (*Theol. sacr.* Part. IV, n. 123): " Hanc PONTII opinionem, quam subinde DIANA (in editione ordinata, tom. II, tract. VI, res. 142) probabilem admiserat ex mera PONTII auctoritate, oppositam sibi probabiliorem retinens, acriter impugnant alii DD. COMUNISSIME, et oppositam sententiam negativam SANCHEZ L. VII, D. 97 vocat CERTISSIMAM; DICASTILLO D. 7, dub. 40, OMNINO VERAM; TANNER D. 9, Q. 4, n. 136, CERTAM; PEREZ D. 37, sect. I, COMMUNEM SENSUM TOTIUS SCHOLAE; idemque sentiunt HURTADUS cum TAMBURINI cit. § 2, n. 4; GOBAT, Cas. 13, n. 547 et praeter rationes late videndas apud citatos, sufficit Bulla Sixti V: nam absolute definit impotentiam esse impedimentum dirimens et nihil distinxit quoad hunc vel illum casum " (3).

130. Sedulo advertatur quod DD. illi omnes in decretali Sixti V, viderunt non quidem merum iuris humani statutum sed IURIS NATURALIS ET DIVINI DECLARATIONEM ex rei natura desumptam, praecipue eo modo iisque rationibus a SCHMALZRGUEBER l. c. evolutis: eo quod Pontifex apertissime dicit non solam finalem dispositionem de nullitate matrimonii, sed et PRIMAM ALLEGATAM AB IPSO RATIONEM (eunuchos verum semen emittere *non posse*) esse " CERTAM ET MANIFESTAM ", adeo ut non solas canonicas sanctiones sed etiam NATURAE RATIONEM attendat, in ea nullitate DECLARANDA: nec solummodo *primum* ab ipso constituenda tamquam iuri naturae *consentanea tantum.*

Contigit itaque in ea quaestione idipsum quod in multis aliis: paulatim evolutae fuerunt decursu saeculorum, singulis Doctoribus suam inadaequatam explicationem praeferentibus, donec tandem S. Sedes, occasione sumpta alicuius ingruentis abusus, declaraverit strictos veritatis limites.

(3) Idem ac SANCHEZ, cum multis aliis dicunt Card. TOLEDO, LUD., LOPEZ; BARTH. DE LEDESMA; PETRUS DE LEDESMA; EMM. SA; porro legatur et SCHMALZGR. qui l. c. multos classicos allegat; legatur IAC. PIGNATELLI in tom. VII, Consult. LXVI, nn. 13-17, ubi integrum Sixti V. M. P. refert et pressius opinionem anteriorem contrariam.

§ III. Vis connexa utriusque rationis allegatae in Sixti V declaratione.

131. Quare neutiquam admitti potest controversiam subsistere de prima allegata ratione a Sixto V, scilicet: " certum et manifestum est eos (eunuchos) verum semen emittere non posse „; sed omnes scholae catholicae simul ac ipsam nullitatis declarationem, eam cum TOTA sua efficacia admiserunt. Imo talis est intrinseca connexio secundae allegatae rationis a Sixto, cum prima, ut haec ab illa non parum corroboretur, ex ipsis modernis physiologiae experimentis: hodie enim demonstrant eunuchum " abscissione utriusque testiculi in ipsa sua virilitate et potentia copulae, RADICALITER vitiari „. Ideo itaque " ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit „, ut aiebat Sixtus in secunda ratione, quia radicaliter destituuntur potentia verum emittendi semen, quae ex *natura,* sicuti dicebat etiam Sixtus, requiritur ad validitatem coniugii ineundi; atque essentialissime quidem, iuxta S. THOMAM. Porro tota schola catholica agnoscit finem sedandae concupiscentiae non posse SUBSTITUI, sed CONIUNGI tantum fini principali generandae prolis, in fine *operis* matrimonii ineundi, ideoque utilitatem sedandae concupiscentiae illicite quaeri in copula non coniugali, pro matrimonio ineundo, prout eam instituit Auctor naturae. Ex his igitur manifestum fit secundam Sixti rationem supponere primam neque intelligi posse ultra limites quae ab hac prima definiuntur.

§ IV. Aliquae adversae sententiae rationes dissolvuntur (4).

132. Iuvat non transmittere sine opportunis distinctionibus, ultimas conclusiones quibus adversa sententia praetendit omnia componere quae in praesenti controversia difficiliora videntur.

1) Haec sententia nullitatem matrimonii eunuchorum apte

(4) P. V. in altera editione pag. 58.

explicat: " quia matrimonium indissolubile et perpetuum per se perpetuam corporum traditionem ad copulam carnalem postulat, ideo, in adversa sententia eunuchi formaliter incapaces sunt validi consensus matrimonialis „. Resp. *Distinguo assertum:* propter hanc solam et exclusivam rationem; *nego;* propter eamdem etiam, et praesupposita illa prima a Sixto V eniuntiata, quae facit impotentiam eorum ex ipso naturae iure dirimens impedimentum, nec solum obsecundantem convenientiam: *concedo.* Cfr. explicatio evoluta in praecedentibus §§.

133. 2) " Sententia adversa his commodis confirmatur: *A*) Accurate servat antiquissimam rationem impedimenti impotentiae quam totam ponit in impotentia coeundi „. Resp. *Distinguo assertum:* quae ab antiquis proposita est, etiam POSITIVE EXCLUSA POTENTIA GENERANDI: *nego prorsus;* quae ab antiquis intellecta est, non exclusa potentia generandi sed ea inclusa, saltem praesumpta in minimo gradu: *concedo.* Id demonstratum est de S. Thoma, nn. 55, 59, 60; de S. Bonaventura ostendetur in cap. seq.; atque in brevi appendice de omnibus aliis.

B) " Perfecte quadrat ad responsa S. Sedis, de matrimoniis mulierum quibus ovaria ablata sunt. Nec confugere debet ad miras hypotheses excisionis fortasse incompletae etc. „. Resp. *Nego suppositum:* nam responsa illa fuerunt data non ex supposita veritate sententiae adversae; imo vero supposita eius incertitudine et supposito dubio adhuc subsistente, utrum ageretur de impotentia necne, sicut explicavit ipse Card. Gasparri in suo opere citato ab initio huiusce diatribae.

C) " Facillime explicat matrimonia senibus utriusque sexus permissa „: Resp. *Nego assertum,* quia e contra ad ea explicanda, pervertit notionem praesumptionis naturalis *iuris et de iure* qua, ex constanti et traditionali praxi, Ecclesia et civitas suam permissionem fundant. Cfr. nn. 24 sq.

D) " Non minus facile explicat usum matrimonii permissum iis qui non fundunt nisi semen aspermaticum vel qui post matrimonium mutilati sunt „. Resp. quoad primum *nego,* propter eamdem rationem nunc dictam; quoad alterum *nego,*

quia in mea sententia eadem facilitate explicatur. Cfr. nn. 70, 72 et meum opuscul. anni 1913 in thesi III[a] n. 34 sq.

E) " Capacitas ad verum matrimonio efficiendum nullatenus pendet a factis quae latere solent „. RESP. *Transeat:* quia hoc incoveniens evitatur in mea sententia, cum admittam impotentiam generandi tantum, si omnino latuerit, non impedire matrimonium contrahendum, neque usu exercendum, idque propter necessitatem inductam ex poena sterilitatis aliarumque calamitatum quibus subiacet mulier ex sententia divina, Gen. III, 16.

F) " Perfecte secum constat „ (sententia adversa): RESP. *Nego prorsus*, ex multis fallaciis quas in ea demonstravi.

§ V. Responsio adhibenda aliis animadversionibus adversis (5).

134. Subiiciuntur nonnullae animadversiones quibus tota adversa sententia in compendium resumitur, quaeque cum iisdem laborent aequivocationibus, non sine responsione dimitti possunt.

1) " Quaestionem de naturali capacitate coniugii eorum qui perpetua sterilitate laborant, seu in quibus perpetua causa est cur prole careant, seu copulae sint infecundae, aegre *a priori*, ut aiunt, seu mera ratiocinatione enodari posse arbitramur „. RESP. *Transeat* quod a priori seu mera ratiocinatione haec quaestio nequeat enodari; sed *nego prorsus* me eam a priori enodasse, ut inferius in appendice rursus dicam: dico enim sterilitatem vel perpetuam, esse rem FACTI, ideoque experimentaliter tantum et a posteriori probandam, quia si a priori quaereretur eius causa, haec nequit certo definiri, cum possit esse VEL defectus mere functionalis, VEL defectus radicalis et substantialis, uterque tamen adhuc latens et inexploratus. Dum e contra in femina recisa, a posteriori etiam, irreparabilis incapacitas generandi est ex se notoria et omnibus manifesta, lumine solis. Inde concludo immediate: recisa nequaquam

(5) P. V. in altera editione, pag. 70, n. 69 bis.

dici potest *sterilis*, sed reapse est et nominanda est *impotens ad generandum.* Iamvero prima, sterilis, debet praesumptione naturali *iuris et de iure naturali et divino*, haberi uti potens ad generandum saltem in infimo gradu possibilitatis huius, quousque contrario et manifesto facto, uti in recisa, *praesumptio* illa non evanuerit, demonstrata *veritate.* Haec porro conclusio neque ipsa a priori fit, sed exigitur ex praerogativa evidentiae veritatis, cui cedat oportet " in incertis omnis coniectura „, quantumvis vehementissima; id autem et praxi confirmatur viginti saeculorum in Ecclesia, quoad matrimonia sterilium et senum. *Nego* itaque quidquam posse deduci paritate rationis, ex matrimonio a sterili ineundo, ad matrimonium a femina recisa ineundum.

135. 2) " Si finis non tantum primarius, sed unicus institutionis matrimonii, seu copulae coniugalis foret procreatio liberorum, omnis copula eorum qui prolem generare nequeunt, dicenda esset inordinata (seu ad nullum finem honestum referibilis), ac proinde contractus matrimonialis careret obiecto essentiali, fere sicut inter duas personas eiusdem sexus „. Resp. Ea quae his verbis generatim et in confuso asseruntur, multiplici distinctione indigent. Ante omnia sermo nequit esse in praesenti de matrimonio *contracto*, cui postea successerit rescissio; sed unice de matrimonio *contrahendo* a femina recisa. Insuper distinguendus finis *operantis*, qui regulariter est ex humanis praesumptionibus, sive liberis, sive physice contingentibus; et finis *operis*, ipsius contractus quem determinat in sua specie. Porro hic finis *operis* determinatus est ab ipso Conditore divino, naturae prius innocentis subinde lapsae et inter alias poenas, poena etiam inflicta sterilitatis. Itaque non vertitur inter nos de fine *operantis* quem intenderit nupturiens, sed de fine *operis;* hic autem in natura lapsa, ex voluntate Conditoris, non est remedium concupiscentiae, *substitutus finis* alteri fini procreationis prolis; sed hoc remedium *superadditum* ex ipsa rei natura, post lapsum, alteri fini; solum discrimen est in eo quod ante lapsum, alter finis semper fuisset cognitione et operatione attingibilis; post lapsum vero,

non tollitur, sed subiicitur incertitudini illi naturae peccato vulneratae, ideoque proponitur nupturienti obtinendus non cum infallibili illa physica certitudine quam praebuisset natura integra, sed cum incertitudine et praesumpta tantum sanitate naturae vulneratae. Hoc a posteriori iterum, ab omnibus omnino et Patribus qui de ea re egerint, et theologis cuiuscumque scholae asseritur. Igitur arbitraria sin temeraria (6), assertio quod " rationi non repugnet ut matrimonium admittatur inter eos qui copulae, non autem generationis capaces, eius usum ad fines secundarios dirigere possunt „. Dico hanc propositionem admitti non posse, si intelligatur, non de sola incapacitate sterilitatis sed de incapacitate evidenter agnita generandi, ut in femina recisa.

136. Ratio additur: " cum matrimonium eiusque usus compleant hominem singularem et sint etiam in remedium concupiscentiae „ – RESP. Haec ratio distinctione indiget: hominem singularem complent et sunt in remedium concupiscentiae, tamquam in finem *superadditum* in statu naturae lapsae; *transeat;* – tamquam in finem *substituendum* alteri fini generationis prolis: *subdistinguo:* pro fine *operantis, transeat:* pro fine *operis, nego*, sensu centies explicato.

Iterum dico: huic assertioni ita intellectae, contradicit tota theologorum cuiuscumque scholae traditio unanima et expressa a S. THOMA ad nostra usque tempora, a qua non receditur sine temeritate. Frustra itaque requireretur ab adversa sententia, in " sola traditione „ ultima litis definitio.

137. 3) " Haec sententiam adversam ad suas induxerunt conclusiones: *a*) responsa S. Sedis, quae, ut minus dicatur, favent matrimonio mulieris recisae „ – Iam pluries RESPONSUM FUIT: favent huic matrimonio, tamquam certe et indubitanter

(6) Mihi parcant patroni adversae sententiae: non enim ego loquor sed Card. DE LUGO, *De Fide*, Disp. XX, n. 26: " Temeritas apud theologos... significat... imprudentiam opponendo se communi aliorum sensui, sine fundamento, in materia theologica „. Porro puto demonstratum fuisse, quod in libera discussione erat, scilicet fundamenta assertionis adversae nutantia et incerta.

valido ex omni capite, *nego;* tamquam dubio ex capite impotentiae; *subdistinguo:* modo definitivo ex lata sententia quae controversiam dirimat, *nego;* ex provisione practica, supponente apertam omnem controversiam de ea re; *concedo.* Ergo legitime potui arguere appellatum hoc subsidium pro sententia adversa, de petitione principii.

138. *b*) " Doctores classici, qui fere usque ad nostram aetatem, solos impotentes copulae a matrimonio arcuererunt „. Resp. *Distinguo:* simul unanimiter docentes intentiones copulae ad generationem possibilem, uti praesumi potest in natura peccato originis vulnerata, esse essentialissimam pacto coniugali ineundo, tamquam finem *operis: concedo;* aliter et cum exclusione huiusce intentionis, in eo pacto ineundo: *nego;* facio tamen reverentem exceptionem aliquorum asseclarum adversae mihi sententiae; nec omnium quidem, cum aliqui sibi minus cohaerentes, thesim adversam simul ac illam S. Thomae assertionem conentur conciliare.

139. *c*) " Matrimonium senum omnis aetatis. Iam vero praesumptio pro copula qualibet aetate remanet; sed praesumptio capacitatis procreationis contraria praesumptione *naturali* eliditur „. Resp. *distinguo assertum:* praesumptio capacitatis procreationis contraria praesumptione naturali eliditur, ita tamen ut iuxta principium legis naturalis de natura lapsa, non *cesset* nisi contrarium, id est impossibilitas absoluta generandi manifesto et evidenter innotuerit, sicut demonstratur ipsa Ecclesiae praxi; *concedo*; – ita ut *cesset* etiam mera praesumptione contraria, desumpta ex ordinaria conditione senectutis: *nego;* per hanc enim generatim *diminuitur*, sed nequit dici nec generatim, nec multo minus in singulis casibus, absolute *cessare:* atque in hoc habemus expressum statutum canonis 1826. Porro in femina recisa habemus praecise istud factum evidens, incapacitatem generationis demonstrans; in sene ordinarie non habemus nisi *diminutionem*, utique maximam, probabilitatis secuturae generationis, uti ipsi patroni adversae sententiae coguntur nos docere. Ergo a senum conditione ad feminam recisam, illogice concluditur.

140. 4) " Naturalis involutionis processus talis est ut *a*) certa aetate praesertim ex parte mulieris, habeatur certitudo *moralis* stricte dicta impotentiae generandi: puta mulierem quae nubat octogenaria; – *b*) ut iam antea, existat praesumptio *naturalis* contra capacitatem „. – Resp. haec certitudo *moralis*, fatentibus ipsis adversae sententiae patronis, nititur sola praesumptione naturali quidem, sed non tanta quae evidenter et positive probet oppositum: *concedo;* – quae evidenter et positive probet oppositum; *nego*. Atqui praesumptio naturalis de potentia generandi adhuc *possibili* vel in *minimo* gradu, quae est praesumptio *iuris ac de iure naturali et divino*, *non cessat* in hac materia, nisi contrarium facto manifesto evincatur; ideoque non sola *morali* certitudine vel stricte dicta, sed certitudine *physica*. Id confirmatur constanti praxi Ecclesiae. Qua probatione deficiente, praesumptio naturalis potentiae generandi in natura poterit quidem praesumptione naturali contraria *diminui*, nunquam tamen *totaliter cessare*.

141. 5) " Et quid iuvat rarissimos casus afferre ubi conceptio in aetate provecta contigerit? – Resp. Iuvant ad demonstrandam *possibilitatem* rei non esse sola senectute peremptam, donec non accesserit factum contrarium *physice* excludens ipsam rei possibilitatem.

142. 6) " Etiamsi veri sint hi casus, leges *morales* fundantur in ea quae fiunt per se, non per accidens „. – Resp. Transeat: nam exinde sequitur tantum finem *operantis* qui regulatur iuxta has leges *morales*, a nupturiente huiusmodi, plerumque directum iri in alium finem praeter spem prolis generandae, *concedo;* – idem valet de fine *operis* matrimonii ineundi: *nego*, quia indoles humanae naturae in praesenti statu, exigit ut favor matrimonii ineundi libero arbitrio non recusetur, quousque impossibilitas generandi *physice* non innotuerit.

143. 7) " Unde si obiiciatur praesumptionem naturalem non elidi nisi certitudine contraria, id negabimus: perimitur quoque contraria praesumptione naturali „. – Resp. Haec elisio ex se valet quidem ad *diminuendam* praesumptionem, non tamen ad eam *totaliter auferendam*, uti toties dixi: recolere

sufficiat canonem 1826 atque principium iuris naturalis quod ubi habetur *evidentia* contraria, omnis *praesumptio* evanescit, quippe quae esset de *incertis*, uti eam definit canon 1825.

144. 8) Demum adversa sententia in suas conclusiones inducta est etiam ex eo quod " videatur explicationem faciliorem praebere usus coniugii omni tempore permissi, et concessi quoque iis qui dicuntur impotentes „. – Resp. *Nego prorsus* in adversa sententia faciliorem praeberi explicationem huiusce indulgentiae; non minori facilitate eam explicavi in mea sententia sententiaque omnium relate ad impotentiam plus minusve plenam, coniugio valide inito supervenientem. Insuper *nego suppositum*, nempe quod indigeamus ad solvendas difficultates relate ad moralitatem cuiuscumque actus, hypothesi quae sit contraria communi imo unanimo sensui scholarum catholicarum, quia contraria iudicatur fundamento ex ipsa revelatione accepto, qualis est NECESSITAS ESSENTIALISSIMA INTENTIONIS PROLIS TAMQUAM FINIS OPERIS IN CONTRACTU MATRIMONIALI INEUNDO.

145. Quocirca ultima adversae sententiae conclusio sic enuntiatur: " Omnibus perspectis, sic simpliciter, suppressa omni alia distinctione, dicendum est: capaces sunt coniugii, ex parte corporis, quotquot naturalem coniunctionem carnalem vere peragere possunt. Per hanc enim factam in matrimonio stabili, convenienti multiplicationi generis humani satis providetur, quamvis effectus iste desideretur. Apta copulae corpora sunt remota materia contractus et sacramenti „. Resp. Si haec conclusio intelligatur, iuxta adversae sententiae intentionem demonstratam evidenter in tota praesenti controversia, suppressa illa essentialissima intentione in contractu ineundo, est omnino recusanda utpote contraria unanimo theologorum sensui, a S. Thoma, ut minus dicam, usque ad aetatem nostram, dum divinam connubii institutionem explicando evolverunt.

CAPUT SEXTUM

De Sancti Bonaventurae sententia

146. Ultimum adhuc effugium adversa sententia sibi quaerit in quibusdam verbis S. BONAVENTURAE, nimirum ita: " Nullus sane antiquorum Doctorum, ad verba quibus S. BONAVENTURA declarat mulierem a viro separari posse propter defectum potentiae generandi, addere cogitavit hanc distinctionem: suppono defectum oriri ex causa accidentali non organica ". Agamus itaque de S. seraphico Doctore.

Ecce eius verba in locis allegatis: In 4, Dist. 31, a. 1, Q. 3, Quaerenti " utrum haec tria bona (fidei, prolis et sacramenti) sint de necessitate matrimonii " (qui titulus est quaestionis) " respondeo:... alia duo bona, fidei et prolis quodammodo sunt de esse, quodammodo de bene esse. Si enim loquamur quantum *ad matrimonii usum*, sic sunt de bene esse, quoniam usus matrimonii absque his esse potest, sicut tota die est, et non solum est absque his, sed etiam cum suis oppositis. Unde sterilitatis et abortus procuratio et fidei fractio non dissolvunt matrimoniale vinculum contractum ".

" Si autem loquamur quantum ad matrimonii *contractum*, qui est matrimonialem consensum, sic potest esse contractus absque his duobus boni, ut puta in sterilibus et in continentibus; sed tamen non est contra haec. Tunc autem est consensus contra haec, quando sub tali pacto consentitur, ut prolis sterilitas procuretur vel uxor alii prostituatur: tunc enim non est consensus vel pactio matrimonii, sed potius adulterii, cum directe repugnet institutioni matrimonii. Sed carentia sive absentia horum duorum non repugnat: quia fides venit ex recto matrimonii usu; et quia possunt homines abuti ipso, ideo potest deesse fides. Simititer proles venit ex fructu ventris et quia steriles possunt esse vel natura, vel arte; ideo matrimonium hoc bono potest carere ".

Ad arg. 4. " Ad illud quod obiicitur de bono prolis, quod propter hoc institutum est, dicendum, quod non tantum propter hoc, sed etiam in remedium, et in signum; et ideo quamvis non sit ibi hoc bonum, possunt tamen esse alia bona. Si autem homo stetisset, tunc semper fuisset hoc bonum, quia tantum fuisset in officium; et hoc bonum non deesset, quia nulla esset sterilitatis poena ".

147. Pro adversa sententia (1) itaque, his verbis S. BONAVENTURA plenius rem proponit et magis secundum veritatem. Alia bona quae in matrimonio insunt, honesti fines sunt matrimonii. Atque imprimis, seclusa etiam concupiscentiae consideratione, occurrit mutuum illud complementum et adiutorium quod coniuges in unione sua reperiunt, qua etiam christiani significant unionem Christi cum Ecclesia. Ipse autem coniugii usu amor ille firmatur.

148. Haec utique egregie scripta sunt atque a Doctore seraphico cum plena veritate intellecta de fine quidem *operantis*, cui nupturiens dirigat actum ceteroquin validum quem contrahit; atvero ipse in hoc textu, nequaquam excludit ex obiecto contractus, intentionem illam prolis, ex ratione qua S. THOMAS eam professus est contractui essentialissimam. Revera 1) quod significare intendat solum finem *operantis*, a contrahente intentum patet exinde quod distinguat finem contrarium substantiae matrimonii ab eo qui contrarius non est: iamvero finis contrarius appositus, non potest esse nisi finis *operantis;* ergo in altero membro distinctionis quippe quae cadit super unum eumdemque terminum, significare vult finem *operantis*. – 2) Non dicit absolute consensum contractualem posse non includere supradictam intentionem; sed " posse esse (consensum vere matrimonialem) absque bono prolis ", quatenus tantum " proles venit ex *fructu* ventris ", ideoque ex usu matrimonii, a quo se continere possunt coniuges, vel sicut fit in sterilibus, in quibus hic usus reapse fructu caret. – 3) Imo ex iis quae addit, deducitur oppositum illius interpre-

(1) P. V. in prima editione, pag. 57; in altera, pag. 53.

tationis quam adhibet sententia adversa: nam expresse dicit non valere consensum pro matrimonio, si positive *excludatur* intentio prolis: " quando sub tali pacto consentitur ut prolis sterilitas procuretur „. Sed cur hoc? nisi quia, uti pluries alias iam animadverti, haec intentio implicite requiritur tamquam matrimoniali contractui propriissima? - 4) Reapse rationem etiam subdit: " quia tale pactum impediendi prolem, directe repugnat INSTITUTIONI matrimonii „; unde potius quam matrimonii, est pactum adulterii, i. e. destruens ipsissimum ius quod est *causa* pacti coniugalis. Appellando nimirum ad matrimonii institutionem, implicite et uno verbo se refert ad totam demonstrationem quam cum AUGUSTINO ex Genesi potui conficere; affirmatque ea valere etiam in matrimonio *sterilium omittens tantum explicare positive* difficultatem praecise illam qua cruciatur usque hodie adversa sententia. Sed si ita est, tantum abest ut quidquam contra meam thesim ex BONAVENTURA possit extundi, ut potius bene dicatur, sicuti ab initio retuli, " BONAVENTURAM heic plenius nobis rem proponere et magis secundum veritatem „; dummodo scilicet intelligatur *in sensu implicite praesupposito et incluso* quem expresse docuerat S. THOMAS, quodque omni conatu possibili detrectat adversa sententia.

149. Alius Seraphici Doctoris textus allegatur, in 4 Dist. 34, in dub. 4, ubi ad glossae interpretationem verborum mulieris: volo esse mater, volo filios procreare: ipse advertit " mulier enim non potest separari a viro propter defectum generandi, sed potentiae coeundi „. Verum iste textus manifeste demonstrat oppositum: S. Doctor enim certissime intendit mulierem non posse separari a viro quem *legitime* duxerit, SI TANTUMMODO SIT STERILIS, id est si, dum neque ipsa neque vir impos est ad coeundum, coitus tamen *de facto caret fructu* ventris, uti audivimus paulo supra ipsum sterilitatem explicantem. Si vero sterilitas eius, i. e. carentia prolis oritur ex defectu potentiae ad coeundum, qui defectus comprobet in se conditiones requisitas in eo capite iuris, tunc utique separari poterit. Iamvero omnes convenimus in hanc assertionem. Tertia quidem senten-

tia extrema contendit sterilitatem illam si demonstrata fuerit oriri ex impossibilitate organica generandi, importare impedimentum dirimens *impotentiae*, ideoque nequaquam esse ab ea distinctam; quod non excluditur per verba illa.

At multo minus valent eadem verba contra sententiam meam, quippe qua loquor tantum de obiecto consensus matrimonialis contractus, nequaquam vero de matrimonio mulieris sterilis, iam contracto, de quo heic sermonem facit Seraphicus Doctor.

150. Ad ea quae adduntur speciatim adversus meam opinionem: " neminem cogitasse addendum esse his BONAVENTURAE verbis, distinctionem: suppono defectum oriri ex causa accidentali non organica ", respondeo ut mihi exhibeatur aliquis ex sequacibus Seraphici Doctoris qui illa eius verba intellexerit ETIAM DE MULIERE QUAE DEMONSTRATA FUERIT OMNI POTENTIA GENERANDI DESTITUTA IRREPARABILITER, IDQUE ANTEQUAM VALIDE NUBERET, sicut adversa sententia ea intelligit; nec solum de muliere STERILI simpliciter, eo maxime sensu quo probavi eam vocem adhiberi in usu recepto tam Doctorum quam vulgi. Iamvero si eo sensu intellecta fuerunt, eo ipso implicite intellectus est defectus PRAESUMPTUS ACCIDENTALIS ET NON ORGANICUS, donec non fuerit oppositum evidentissime demonstratum, quia natura, in mente omnium tam Doctorum quam rudium, omnium saeculorum, non praesumitur substantialiter defectuosa.

Sed de his satis superque dixi.

EPILOGUS

151. In responsionibus adhibitis conclusionibus adversis, in § IV capitis ultimi, brevi compendio proponitur tota mea sententia; praesenti epilogo memorare sufficiat solutionem praecipuae difficultatis quae novem iam ante annos, aliquos deterruerat ab amplectendis meis conclusionibus. Nimirum mihi sufficit demonstrasse intentionem prolis ita esse neces-

sariam in ratione finis *operis*, in omni matrimoniali contractu, idque ex ipsa DIVINA EIUS INSTITUTIONE, ut natura propria connubii necessario etiam exulat a pacto huiusce nominis quod ineatur cum femina recisa. Haec autem invaliditas ex SOLO capite vitiati consensus non officit ABSOLUTAE VALIDITATI matrimonii mulieris STERILIS, etiamsi sterilitas eius reapse originem haberet ex innata generandi impossibilitate, OCCULTISSIME LATENTE : cuius rei demonstrationem a posteriori accipimus ex praxi Ecclesiae nunquam dissolvendi matrimonium sterilium : dum sufficit ut possint exterius PRAESUMI potentes ad generandum, ut in contrahendo consensus valide feratur in intentionem prolis saltem etiam PRAESUMPTAM POSSIBILEM. Si deinde defectus ille substantialis innotesceret, nequaquam fuisset primus consensus inde errore substantiali vitiatus: quia sterilitas non est idem ac impotentia; neque primus consensus errate ferebatur in *vere* tunc *praesumptam* potentiam generandi. Porro impotentia generandi non potest invalidare contractum nisi reddendo obiectum eius *manifesto* impossibile, ideoque ex solo capite consensus vitiati. Huiusmodi autem indolem sterilitatis positive voluit tamquam poenam naturae lapsae, ipse naturae Auctor. Inde consequens necessitas ut omnia matrimonia sterilium exponerentur remoto seu mere possibili periculo occultissimae impotentiae generandi proprie dictae. Sed ne MAIORA SEQUERENTUR INCOMMODA NEMPE INSTABILITATIS VEL INCERTITUDINIS SOCIETATIS CONIUGALIS, non poterat periculi huius mera possibilitas quae ceteroquin reapse verificaretur in paucissimis, causa esse ut agnito defectu, matrimonium feminae agnitae sterilis annullaretur. Ideo Ecclesia semper admisit absolutam huius connubii validitatem.

152. Nec tamen licet exinde arguere in adversam conclusionem, dicendo nempe quod si non obstante defectu occulto impotentiae ad generandum, matrimonium sterilis feminae potest esse validum, etiam ergo agnita generandi impotentia non invalidabit matrimonium cum recisa. *Negatur consequens et consequentia* huiusce retorsionis argumenti, quae mihi obiecta iam fuerat novem ante annos : nam induceret absurda illa inconve-

nientia de quibus sermo fuit sub nn. 119–124 subverteretque positivam institutionem connubi quod demonstratum est a Deo institutum fuisse atque asservatum in natura lapsa, cum EXCLUSIVA INTENTIONE prolis.

153. Ita igitur evanuit ingens illud spectrum difficultatis qua, in mea sententia videbatur intelligi non posse " quomodo postulem relationem realem ad ipsam generationem, in omni valido matrimonio, ac proinde exigam ut fundamentum ex quo provenit, reapse inveniatur in utroque contrahente „ et simul admittam validum esse matrimonium sterilium quorum sterilitas reapse oriatur sed latenter, ex defectu illius fundamenti.

154. Quod ad declarationes S. Congregationis de Sacramentis, ut possent dici inconciliabiles cum mea sententia, deberent supponi datae ex probata veritate thesis adversae; quod dici nequit sine petitione principii, uti pluries adverti.

Quae cum ita sint, videor satisfecisse omnibus quae mihi obiecta fuerunt, Iudicet aequus lector.

APPENDIX I

§ I. De traditionali professione eiusdem doctrinae in scholis catholicis, a S. Thoma ad nostra tempora

155. Quamvis satis aperte demonstratum fuerit intentionem prolis generandae esse, uti scripsit S. THOMAS, ex pactione coniugali, matrimonio ineundo essentialissimam, idque a me ostensum fuerit in Patrum interpretatione derivatum ex ipsa primaeva connubii institutione, adeo ut tota schola catholica constanter intellexerit, hac exclusa intentione, pactum coniugale non dari: eo non obstante, pars adversa praeferret longiori inquisitione sensum traditionalem theologorum investigare. Verum aestimo facilius me posse metam hanc attingere, argumento praescriptionis quod fundamentum sibi assumat ea quae iam in praecedentibus demonstrata sunt.

156. Nimirum sensus traditionalis receptus penes theologos et canonistas reapse consuevit hodie proponi duplici methodo

diverso, in scholis vel scriptis theologiae quam *historicam* appellant. Altera, praecipue a modernistis usurpata, PRAESCINDIT ab iis notionibus quae ex revelatione, per organum traditionis catholicae transmittuntur, ac praetendit successivam evolutionem conceptuum decursu saeculorum ostendere, ex falso praesupposito evolutionis in ipsa dogmatis substantia vel in iis quae cum dogmate revelato connectuntur.

157. Altera methodus a catholicis unice admissa, constituit sibi ante omnia inquirendum utrum ex verbo Dei sive scripto sive tradito aliquid in re de qua agitur, sive expresse et formaliter, sive implicite et virtualiter, sive deductive saltem, reperiatur propositum. Quo statuto, transit ad scientifice disquirendum sensum quo idipsum fuerit plus minusve explicate enucleatum in successiva intellectione scholarum. Porro hanc ultimam doctrinae demonstratae historiam, sicuti in aliis controversiis olim perfeci, ita in praesenti possem sub oculis patronorum adversae sententiae evolvere successivis editis testimoniis singularum aetatum. At ne taedio sim egregiis viris quibus forte praeplacet nervosa doctrinae condensatio, eumdem effectum arbitror me posse consequi, paucis animadversis de vero quaestionis cardine, paucisque allegatis testimoniis quae hodie omnium manibus circumferuntur.

158. Revera, sicuti superius demonstratum est, tota adversae ratiocinationis aberratio exinde provenit quod, neglecta distinctione finis *operis* finisque *operantis* in connubio a sene vel a femina sterili ineundo, scriptorum antiquiorum assertiones de huiusmodi connubio in eum sensum distractae fuerint ut viderentur exclusisse ab ipsa contractus causa, intentionem prolis quam S. THOMAS profitetur in ea essentialissimam. Satis erit itaque ostendere sive ex antiquioribus, sive ex recentioribus nullum doctorem gravioris auctoritatis, sibimet plene cohaerendo, unquam contendisse matrimonium valide iniri posse, EA INTENTIONE POSITIVE EXCLUSA IN IPSA CONTRACTUS CAUSA; ideoque eo ipso quod docetur matrimonium senum vel sterilium esse absolute validum, docetur etiam hanc praesumptam generationis possibilitatem senectute vel de-

crepita sola, aut sterilitate nondum esse evidenter peremptam. Unde suffragium antiquiorum nequit afferri pro thesi et sententia adversa, in qua arguitur ex matrimonio senum et sterilium ad validitatem matrimonii a femina recisa ineundi, in qua profecto possibilitas generationis agnoscitur irreparabiliter amissa.

159. Neque ex modo obscuro vel confuso loquendi aliquorum DD., in quaestione aetate illa nondum perspicue explicata, praevalens deduci potest argumentum. Praesupposita itaque illa essentiali necessitate quam mihi a Patribus et a S. Thoma assumo demonstratam, facillime ostendam nullus catholicus in asserendo vero senum vel sterilium matrimonio, ab ea recessisse. Cetera quae insuper obiiciuntur de haesitatione quorumdam circa matrimonium eunuchi, nequeunt hunc sensum traditionalem in unanima catholicorum professione obnubilare. Traditionalis doctrina ita demonstrata profecto sufficit ad excludendam thesim adversam, meamque ipsi substituendam. In praesenti enim mihi usurpare pro me licet duo illa solemnia Tertulliani effata: " Quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum „; et alterum; " id est dominicum et verum quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum „. (*De praescriptionib.* cap. XXVIII et cap. XXXI: Migne, 1, 40, 44).

§ II. Doctrinae S. Thomae a Thoma Sanchez et omnibus DD. post eum adoptata

160. Quod thesis mihi adversa contraria sit sententiae unanimiter receptae a pluribus saeculis in Ecclesia, invenio iam triginta ante annos publice elatum a P. Antonio Ballerini (1). Operae pretium est integra referre eius verba: loquens de conditione adiecta substantiae matrimonii contraria, " prava illa intentio, ait, duplici modo potest intelligi... 2° Quod animo ita (contrahens) sit comparatus, ut absolute non velit contra-

(1) Ballerini *Op. mor.* VI, in prima edit. n. 495; in tertia, n. 282 sq.

here quampiam ex illis obligationibus quae ad substantiam matrimonii pertinent... Si autem secundo sensu accipiatur intentio, tunc etiamsi in pactum seu conditionem non deducatur, tamen quoad conscientiae forum invalidat contractum. Et ratio est, quia contractus matrimonii ex natura seu essentia sua exigit consensum in eas obligationes. Qui ergo habet intentionem excludentem quampiam ex his obligationibus, eo ipso excludit matrimonii essentiam ac proinde nullum est matrimonium „. – " Hanc doctrinam post S. THOMAM sic proponit SANCHEZ Lib. II, Disp. 29, n. 12, QUEM OMNES DEIN SECUTI SUNT (2). Observandum est aliud esse sentiendum de tribus matrimonii bonis quoad obligationem, et aliud quoad executionem. Nam quoad obligationem omnia illa sunt de matrimonii essentia; obligantur enim coniuges *ex vi matrimonii* ad vitam individuam (intellige quoad vinculum) et debitum sibi reddendum prolemque non impediendam et habitam educandam. Et hoc aperte sentit D. THOMAS 4 D. 31, Q. 1, a. 3, corp. Ubi haec ait: fides et proles possunt dupliciter considerari. Uno modo in seipsis et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles suscipitur et pactio coniugalis (scil. reddendi debitum) servatur. Sed indivisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se: quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum tradunt coniuges sequitur quod separari non possint, et inde est quod matrimonim nunquam invenitur sine inseparabilitate, INVENITUR AUTEM SINE FIDE ET PROLE; QUIA ESSE REI NON DEPENDET AB USU SUO... Alio modo possunt considerari fides et proles secundum quod sunt IN SUIS PRINCIPIIS, ut pro prole accipiatur intentio prolis et pro fide debitum servandi fidem, SINE QUIBUS ETIAM MATRIMONIUM ESSE NON POTEST; QUIA HAEC IN MATRIMONIO EX IPSA PACTIONE CONIUGALI

(2) Omnino false itaque asseritur " Sanchez de prole tacere „. Nimirum dum in Lib. II, Disp. 1, n. 6, ***implicite*** includit obiectum et finem *operis* contractus, indicando " mutuam corporum traditionem „, et in loco a me et a BALLERINI relato ***explicite*** evolvit conceptum.

CAUSANTUR: ita quod si aliquid contrarium huiusmodi exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, NON ESSET MATRIMONIUM et sic accipiendo fidem et prolem, PROLES EST ESSENTIALISSIMUM IN MATRIMONIO et secundo fides. Hinc fit, pergit SANCHEZ, ut intentio contraria bono sacramenti (inseparabilitati), irritet matrimonium non autem intentio contraria fidei et proli. Si tamen adversaretur intentio fidei et proli quoad sua principia, similiter irritaret matrimonium: et si quis contraheret non intendens se obligare ad educandam prolem, vel ad non impediendam (generationem) vel ad servandam fidem, esset irritum matrimonium: quia cum haec sint matrimonii essentialia, talis intentio essentiam excludit, quod clare docet S. THOMAS, dum ait matrimonium sine his bonis consistere non posse „. Et haec quidem verissima sunt etc., SUBIUNGIT BALLERINI.

161. Porro de hac eadem doctrina, antequam ab Angelico verbis relatis perspicue efferretur, iam constabat in foro Ecclesiae sicut in ipso campo theologiae. Ea enim satis aperte tradebatur ab HUGONE A S. VICTORE qui dici potest praecursor S. THOMAE atque ab ipso BASILIO PONTIO merito appellatus " alter Augustinus „, quippe qui fere singulis paginis doctrinam imo et verba Augustini proponit (3).

162. Eamdem doctrinam pariter collegi apud canonistas S. THOMAE anteriores et posteriores, GRATIANUM, S. RAYMUNDUM A PENNAFORT, cum TANCREDO, quos tamen pars adversa immerito sibi faventes profert (4); deinde apud NAVARRUM et

(3) Cfr. *De sacramentis*. Part. undecima, Cap. II et III. (M. 175, 480 sq.). Collato Lib. *De B. M. Virginitate*, cap. 1 (M. 175, 859). Ne longus sim testimonium eius integrum quod retineo transcriptum, referre hic omitto. Confirmatur haec mea interpretatio ex testimonio SUAREZII, In 3 p. Disp. VII, Sect. I, n. 9.

(4) Contuli S. RAYMUNDI Summam; Summam vero TANCREDI non potui reperire; sed P. VERMEERSCH in *Theol. mor.* vol. I (Romae 1922) pag. 31 testatur S. RAYMUNDUM TANCREDI summam fere verbotenus in suam recepisse. Porro certo certius ipse Summam TANCREDI in editione Agath. Wun-

Covarruvias qui saeculo XVI labente floruerunt scripseruntque ante Motum Proprium Sixti V.

163. Post aetatem S. Thomae, eamdem doctrinam inveni apud Duns Scotum et Mastrium De Medulla sicut Frassen, huius asseclas praecipuos; eamdem apud Durandum a S. Portiano. Eamdem est legere penes praecipuos Thomistas, uti S. Antoninum, summam silvestrinam, Ioannem De Friburgo; Petrum De Ledesma, Sylvium, Caietanum, Billuart.

164. Eadem legitur satis expresse in Theologia morali Pauli Laymann, quamvis hic a parte adversa uti sibi favens afferatur. Sane Laymann L. V, Part. altera, cap. I, n. 1 definit cum S. Bonaventura, matrimonii contractum, " in quo legitimae personae... se vicissim obligant ad vitae societatem et generationis usum „. Subinde finem generationis tamquam " praecipuum „ explicat ex verbis Apostoli 1 Cor. 7. In part. III, cap. IV, n. 1: " Extra controversiam est quod prolis generatio praecipuus finis sit, actus coniugalis, quem proinde coniuges excludere numquam debent, sed implicite saltem et virtualiter intendere; nisi per accidens ob senectutem, vel sterilitatem desperetur proles: ideoque intendi non possit, cum nemo operans intendat ad id quod fieri non posse arbitratur. Quaedam similia habet etiam Scotus, in 4, D. 31, Q. 1 ad 3.

Verum ibi agunt ambo de sterili vel sene, quem supponunt esse adhuc capacem de facto, atque ut tales absolute admitti ab ecclesia ad matrimonium illud quod specifice definiverant ut supra retuli; ibi itaque non loquuntur de fine operis, sed de fine operantis.

Tandem ut plene contentos efficiam sententiae adversae patronos, breviter referam rationes quas Pontius resumpsit

---

derlicht Göttingae 1841 editam potuit prae manibus habere in optima bibliotheca S. J. Collegii Lovaniensis. – In Summa Raymundi (Edit. optima a Ioanne de Friburgo O. P. curata et glossis ornata) Lib. IV, De matr. §§ 3, 5, 6, 12. Ioannes de Friburgo mortuus est anno 1603.

praesertim ex Michaele Medina O. Min,, ad propugnandam validitatem matrimonit eunuchi ad caste vivendum, etiam postquam Sixtus V ipsum declaraverat invalidum.

§ III. Confutantur rationes a Basil. Pontio allatae pro matrimonio eunuchorum ad caste vivendum

165. Hic auctor equidem in L. VII, cap. LXVII tuetur, eunuchorum matrimonium in ordine ad copulam, esse iure naturae invalidum, atque admittit (n. 5) " optima ratione desumpta Sixtum V ea eunuchorum matrimonia iam contracta irrita fuisse et nulla DECLARARI iussisse „. Sed eodem capite, n. 6 subiungit: " eunuchorum coniugia, si ad caste vivendum celebrentur, valida esse spectato tantum iure naturali, verum existimamus „. Hanc autem suam assertionem conatur ibidem ex ipsa Sixti V decretali deducere, cum Pontifex in ea dicat eos non contrahere ad caste vivendum: ergo, concludit ipse, Pontifex admittit validum esse matrimonium si ad caste vivendum ineatur ab eis. Perinde acsi ex *solo* fine *operantis*, nec ex fine *operis* coniugii, Pontifex ipsum nullum declarasset.

166. Sed eodem Libro, cap. LVI–LIX hanc suam sententiam propugnat. Primum argumentum desumitur ex auctoritate scholasticorum, quia eam attribuit praeter Michaeli Medina O. Min. Veracruz O. S. A. et Petro Soto O. P., quos videre non potui, Magistro sententiarum, S. Antonino et praesertim S. Thomae. Verum de S. Thoma iam perpendi textum hic allegatum, in § VIII cap. tertii. Equidem Pontius et alium locum affert in quo Angelicus loquitur de matrimonio B. Virginis cum S. Ioseph: quem locum tamen omnes aliter interpretantur quin ulterius possit ulla controversia inde suscitari, contraria doctrinae a me superius relatae de fine operis coniugio essentialissimo, iuxta ipsum S. Doctorem. Mirum est quomodo Pontius hic videatur oblivisci doctrinae quam ipsemet cum Angelico professus est in Libr. I, cap. XX, n. 10, uti retuli in Diatriba n. 123, nota 5.

167. De S. Antonino Pontius citat Part. III, tit, I. cap. 22,

§ 3: atvero in hoc loco agitur unice de coniuge vovente castitatem, nullatenus de matrimonio eunuchorum. In cap. vero 12 § *secunda impotentia*, scribit: " Si remanet virga quae erigatur et abscissis testiculis... talis satisfacit mulieri, sicut mulier satisfacit viro suo, sive resolvat sperma, sive non. Nec requiritur in matrimonio quod semper sit spes filiorum sed sufficit quod NON EVITENT PROCREATIONEM PROLIS: in hoc ergo caute incedendum est et cum maturo consilio. Et quando tales possunt induci ut se haberent ut frater et soror caste viventes, tuta via esset de castrato et spadone dicit P. DE PALUDE. Quod si non impediuntur actu generationis, licet ab effectu, quia scil. in eis virga erigitur, et semen emittitur, sed invalidum ad generandum, contrahere possunt; sed si non emittunt semen, non possunt contrahere secundum quosdam, 32, q. 7. *Hi qui*. Neque contrahitur per hos affinitas „.

168. Textus hic est utique obscurus, ideo tamen quia pro ANTONINO et PALUDANO quem perpetuo citat et sequitur, erectio virgae quae remaneat in huiusmodi viro, indicium forte erat de aliquali potentia seminandi quin constaret plena certitudine de incapacitate omnino sublata generandi: unde sicut seni, ita huic spadoni permittebant matrimonium. Reapse ad initio sic descripserat ANTONINUS " impotentiam perpetuam quae impedit contrahendum et dirimit contractum „: " naturalis, scil. quae est in viro frigiditas seminis „. Ergo debuit supponere in illo spadone semen quod emittit non esse omnino aut non fore omnino frigidum, i. e. invalidum ad generandum.

Ceteroquin huic dicendi rationi PALUDANI, uti notavit postea, SUMMA SILVESTRINA, (Matrimonium VIII, Decimosexto), eodem tempore, " COMMUNITER TENETUR CONTRARIUM, quia ex quo habere non potest actum GENERANDI, potest mulier dicere: ego volo effici mater, ut in cap. 1 in si. eod. tit. „.

169. Haec porro sufficiunt ad respondendum illi interpretationi accomodae istorum verborum quae alia occasione a

parte adversa desumpta est ex S. BONAVENTURA et ex S. THOMA post Glossam (5).

170. Insuper certissime S. ANTONINUS et PALUDANUS in ea sententia, non sibi cohaerent, quippe qui retinent cum S. THOMA intentionem prolis esse connubio ineundo essentialem, ex ipsa eius institutione quam describunt. Haec omnia expressissime transcripseram sed parco Lectori quem satis erit remisisse ad cap. 19 eiusdem tituli in 3 p. S. ANTONINI ubi PALUDANUS refertur, § 3, 4, 6, et in fine loquitur non de fine *operis*, sed de fine *operantis*.

171. ALTERA RATIO quae urgetur a PONTIO in cap. LVII est quod ad contractum non requiritur corpus generationi aptum, sed sufficiat distinctio sexuum. Quae propositio est e diametro contraria confessioni eiusdem PONTII quam supra retuli in Diatriba n. 123 nota 5.

172. TERTIA RATIO: superveniente impotentia matrimonio iam rite contracto, non solvitur vinculum, quamvis sacramentum non possit dari sine valida materia. Ergo impotens non est incapax veri et validi matrimonii ad caste vivendum. Videor irridere adversario si arbitrer ipsi dandam esse solutionem huiusmodi ineptiae qua confunditur ratio communis sacramenti cum ratione specifica huius contractus suapte natura insolubilis.

173. Tandem confusa copula in actu cum intentione et obligatione ad eam, PONTIUS in isto capite, arguit ex matrimonio B. V. Mariae cum S. Ioseph, de quo iam diximus, neque ulterior controversia induci potest.

174. In capite LVIII afferuntur ab eodem, decretales illae Lucii III et Coelestini III, quibus conceditur impotenti contubernium fraternum; sed a multis saeculis canonistae adverterunt hoc contubernium non esse contractum coniugii, quandoquidem, uti scripsit SCHMALZGRUEBER L. IV, tit. 15, n. 64 " clare significatur in istis capitibus, quod verum matrimonium cum illa non intercedat „. Et " ibi, in cap. Requisisti.

(5) P. V. in altera editione, pag. 53 in fine.

2 caus. 33 q. I., nomine coniugalis retinaculi intelligitur non verum matrimonii vinculum, sed putatitium, ut patet ex textu: nam ibi permittitur rescissio coniugalis retinaculi „.

175. PONTIUS tandem in L. I, cap. XVIII, n. 7 enormem aequivocationem admittit in interpretando verba AUGUSTINI in libro *De bono coniugali* cap. I, quae retuli in Diatriba, § 1 capitis quarti: “ poterat enim esse in utroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius obsequentis amicabilis quaedam et germana coniunctio „ quae verba ab AUGUSTINO afferuntur ad significandum in ea coniunctione NON COMPROBARI MATRIMONIUM a Deo institutum. Imo fatetur alibi, ipsumque retuli n. 106, nullam se rationem in ea diversitate sexuum invenire coniunctionis, nisi generationis obtinendae. Et huic eius menti constantissime congruit tota eius doctrina.

Sed haec abunde sufficiant in re manifesta et a saeculis definita in consensu omnium scholarum catholicarum.

CONCLUSIO

176. Iure meritoque est in tota praesenti controversia concludendum: copulam carnalem physice et materialiter completam, cuius adhuc capax est mulier manifesto recisa, non posse amplius aestimari sufficientem ad praesumendum ex praesumptione *iuris et de iure* capacitatem generandi, cum haec ex facto evidenti et contrario defecerit; ideoque mulier recisa nequit in contractu matrimoniali habere intentionem illam prolis quae huic specifico contractui est essentialissima. Igitur non quidem ex capite impotentiae ad coeundum, sed ex defectu substantiali consensus in obiectum matrimonii proprium, eadem mulier invalide contrahit.

Quod erat in praesenti dissertatione demonstrandum.

APPENDIX II

Exscerpta ex opella Ioannis B. Ferreres S. J. de vasectomia duplici etc. Edit. altera, Matriti, 1913.

177. Pag. 14: " Senes verum semen a testiculis elaboratum emittunt quamvis prolificum non sit (cfr. infra n. 97 sq., 195 sq.). Aliud namque est semen verum non emittere aliud vero non emittere semen prolificum. Primum pertinet ad impotentiam; alterum inducit tantum sterilitatem „.

" Unde ait PETRUS DE LEDESMA: Ad tertium argumentum respondetur quod matrimonia senum valida sunt, quoniam habent potentiam coeundi et possunt habere copulam cum seminatione, ut statim dicemus, et semen eorum est eiusdem rationis cum semine aliorum, quamvis EX ACCIDENTI non sit prolificum propter frigiditatem accidentalem. Ceterum eunuchi et spadones isti non possunt habere copulam cum seminatione, nam illud quod isti spadones emittunt non est semen, et ex NATURA SUA est maxime sterile, et non EX ACCIDENTI (Q. 68, A. 1, pag. 560 edit. Venetiis, 1595) „.

" Quare si aliquis huiusmodi esset qui verum semen quacumque ex causa emittere iam non posset, nec ad matrimonium iam esset habilis, ut bene notat ipse PETRUS DE LEDESMA (L. C. Q. 68, A. 1, pag. 563): Si senes sint ita senio confecti et exhausti quod nullo modo seminare valeant, quamvis possint erigere membrum et penetrare vas, non possunt contrahere matrimonium, et si contrahant, matrimonium est invalidum. Hanc conclusionem docet expresse magister SOTUS loco citato, et similiter SYLVESTER; et magister SOTUS adducit pro ista sententia PANORMITANUM, SYLVESTER vero adducit RICHARDUM.

" Idem tenent SANCHEZ, De matr. L. 7 Disp. 92, n. 19 seq.; LAYMANN, L. 5, Tr. 19, p. 4, cap. 11, a 7; SCHMALZGRUEBER l. c. n. 33 „.

178. Adverte hanc doctrinam afferri de senibus prout generatim praesumuntur ex praesumptione iuris et de iure natu-

rali et divino, potentes ad coeundum simulque ad generandum, quamvis potentia ad generandum, in eis ex praesumptione *hominis* plerumque sit diminuta et minima saepeque nulla. Id tamen generatim non officit validitati eorum ineundi matrimonii: sed cur? Praecise quia nondum constat evidenti facto contrario potentiam eorum non solum coeundi, verum vel solam generandi, fuisse penitus exstinctam: nam tunc solum aiunt isti DD. citati invalide inirent connubium quando constaret eos NULLO MODO POSSE SEMINARE.

Demonstratum igitur heic habemus antiquos illos summos, eamdem ipsissimam normam et explicationem tradidisse communiter de matrimonio senum et sterilium, quam egomet in Diatriba retuli.

Sed pergamus in referendo testimonio Patris FERRERES.

179. Pag. 47: " Senes usque ad ultimam senectutem possunt procurare non modo verum semen sed etiam generatim vera spermatozoida, etsi rariora, ac forte debiliora. (Ecce habes PRINCIPIUM GENERALE, nedum solummodo factum, vel facta singularia).

" Vir sperma format etiam in provecta aetate sed non raro est infecundum, ait GASPARRI, n. 512. Quoniam vero in quacumque aetate sperma formatur, imo nonnulli decrepiti filios quoque genuerunt, et ex ipso nuptiarum desiderio potentia praesumi debet, et aliunde etiam in dubio impotentiae matrimonium permittitur; hinc senes in quacumque aetate ad matrimonium Ecclesia admittit „. (Ibid. pag. 345). Cfr. etiam S. C. Concilii, 7 Sept. 1792 *In Tudertina.*

180. " Etiam Doctores medici BEAUREGARD et GALIPPE l. c. p. 583, nota, testantur sperma senum continere generatim spermatozoida. " Le sperme des vieillards contient généralement des spermatozoides „.

" Apertius id probat Doctor medicus SAPPEY, professor in facultate medica Parisiensi, in suo opere: Traité d'anatomie descriptive, Vol. 4, pag. 621, 622 (Paris 1874, edit. 2): " A quelle époque de la vie disparaissent dans le liquide séminal les spermatozoides? On a longtemps pensé qu'ils n'existaient plus

dans la semence des vieillards. C'était une erreur que sont venues réfuter les recherches de Monsieur DUPLAY et celles de M. DIEU. M. DUPLAY a examiné le sperme de 51 vieillards, pris dans les vésicules séminales. Chez 37 les spermatozoides existaient; et le plus souvent ils ne différaient pas de ceux de l'adulte. Dans ce nombre il y avait huit sexagénaires, 20 septuagénaires, 9 octogénaires; et parmi ceux chez lesquels les spermatozoides étaient aussi abondants que chez l'adulte, le moins agé comptait soixante-treize ans, le plus agé quatrevingt-deux. Les recherches de M. DIEU, faites sur les vétérans de l'hôtel des invalides, confirment pleinement les précédentes. Sur 105 vétérans, 41 lui ont présenté les spermatozoides. Parmi ces derniers le plus agé avait quatrevingt-six ans. Mais peut-être n'est-ce pas encore la limite extrême de leur existence; GASPER fait mention d'un vieillard de quatre-vingt-seize ans chez lequel il existait des filaments spermatiques „.

181. " Nec aliter rem exprimit Doctor medicus BECLARD, l. c. pag. 1. 126, nota 1: Généralement le sperme des vieillards ne perd pas sa vertu fécondante par les progrès de l'âge. D'après les recherches récentes de M. DUPLAY, le sperme d'un grand nombre de vieillards de 70 a 80 ans contenait des spermatozoides dans lès 3|4 des cas „.

182. " Iuxta doctorem medicum MATHIAM DUVAL, professorem addictum facultati medicae Parisiensi, spermatozoida in senibus imperfectam habent evolutionem, et motu progressivo carent; et haec generatim est causa sterilitatis.

" D'après le docteur GIRAUD chez l'homme, après 55 ans, la tête des spermatozoides est plus grosse et la queue plus courte; puis vient une époque où ces espèces de tètards n'ont presque plus de queue: la tête a alors presque tout envahi. Il leur reste bien encore des mouvements, mais la progression est devenue impossible; il ne s'en trouve que quelques rares qui aient conservé leur queue et puissent encore aller en avant „. (DUVAL, Cours de Physiologie. Paris, 1873. Edit. 2, pag. 556, 557).

183. " Clarius adhuc exponit Doctor medicus SURBLED quomodo sterilitas oriatur sive in senibus sive in aliis morbo affectis, quamvis verum semen plura continens spermatozoida emittatur „.

" Sans doute la liqueur séminale complètement dépourvue de spermatozoides est de nul effet ; mais la présence de ces animalcules ne suffit pas pour rendre le sperme prolifique. Dans un grand nombre de maladies, l'arthritisme, le diabète, la tuberculose, les cachexies, l'anémie profonde, chez les vieillards, chez les individus fatigués ou usés avant l'âge, les spermatozoides ne sont pas absents du sperme et n'arrivent pas cependant à le rendre fécondant ; on les trouve quelquefois petits, faibles, presque sans mouvements (spermatozoides à béquilles, PAJOT) et d'autres fois nombreux et vifs comme à l'ordinaire. D'ailleurs l'impuissance des spermatozoides dans les affections les plus graves n'est jamais absolue et permanente ; on la voit disparaître sous l'influence du traitement, de l'hygiène, de la continence et même toute seule. (SURBLED, La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène. Tome 2, La vie sexuelle. Paris, 1900. Edit. 6, pag. 125, 126) „.

184. Ne longus sim, omitto citationes ex aliis medicis, etiam recentissimis : LYON WADDELL, Medical Iurisprudence for India. Fourth edition ; London 1909. Pag. 207, 208. Porro ex TOPAI, notissimo Archiatra Pontificio, De necessitate uteri etc. Romae, 1903, pag. 75.

A. M. D. G.

INDEX ALPHABETICUS

N.B. – *Numerus refertur ad marginem; intra parenthesim, ad notam subiectum.*